O.K.
8° 3561

BOSTON MEDICAL LIBRARY
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

M8487

# DE LVMBRICIS ALVVM OCCVPANTIBVS, ac de ratione curandi eos, qui ab illis infestantur

Commentarius.

Hieronymo Gabucino Fanensi authore.

INDEX OMNIVM CAPITVM rerumq; hoc libro memorabilium, cum græcarum uocũ interpretatione accuratißima.

Venetijs apud Hieronymum Scotum.

M D XLVII.

4/1608 Wade

# INDEX CAPITVM, QVÆ hoc commentario continentur.

De interaneorum animantium nominibus. Cap. 1
De Lumbricorum generibus quot sint: atque Auicennæ cum Galeno, cæteris q; græcis authoribus concordia. Cap. 2
Lumbricorum omnium descriptiones: & de lato plura. Cap. 3
An Lumbrici toto sint genere præter naturam, & an morbus sint, an symptoma. Cap. 4
Quonam pacto Lumbricorum humano in corpore fiat generatio. Cap. 5
Quam ob causſam Lumbricorũ fiat generatio. Ca. 6
De materia generationis Lumbricorum. Cap. 7
In quo nam animãtium corporis loco Lumbrici procreentur. Cap. 8
Quæ Lumbricis obnoxiæ ætates, & quæ quibus magis minus've infestentur. Cap. 9
Quæ magis Lumbricis obnoxia temperamenta sexus q; sint. Cap. 10
Quibus anni temporibus Lumbrici potißimum producantur, & qua diei parte plurimum ægrotos lancinent. Cap. 11
An cæteræ præter hominem animantes Lumbricis obnoxiæ sint, & quæ: & an omni in regione hominibus brutis q; innascantur: & plura de animalibus locorum uarietate intereuntibus, uel deterio

ribus euadentibus. Cap. 12
Mira quædam de Lumbricis olim uisa quotidieque euenientia. Cap. 13
Qui quibus deteriores Lumbrici, qui'ue tutiores ac minus noxij. Cap. 14
Teretum Lumbricorum notæ. Cap. 15
Latarum tæniarum notæ. Cap. 16
Aſcaridum Lumbricorum notæ. Cap. 17
Communes omnium Lumbricorum notæ ex neotericis. Cap. 18
Præſagia ex Lumbricis ſumenda. Cap. 19
Lumbricos curandi methodus κατὰ τόπον διαιτητικῶν. Cap. 20
Catholica curandorum Lumbricorum. Cap. 21
Simplicia medicamenta ad Lumbricos omneis uel necandos uel educendos ex Dioſcoride, Celſo, Plinio, Scribonio, Galeno, Oribaſio, Paulo, & Aetio. Cap. 22
Quæ teretis ſeorſum Lumbricos, Latos ſeorſum, aſcarides ſeorſum occidunt & eiiciunt, ſimplicia medicamenta. Cap. 23
Teretum Lumbricorum curatiua methodus ex Paulo & Aetio. Cap. 24
Compoſita ad Lumbricos necandos & educendos. Cap. 25
Cataplaſmata cerata, perfuſiones ad eoſdem ex priſcis neotericisq; authoribus. Cap. 26
Latarum tæniarũ curatiua methodus ex Celſo, Scri-

bonio, Oribasio, Paulo, & Actio. Cap. 27
Ascaridum curatiua methodus ex ijsdem authoribus. Cap. 28

# AVTHORES,
## quorum mentio fit in hoc commentario.

### EXTERNI.

Hippocrates Cous, Parmenides, Heracletus, Hesiodus, Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, Herophilus, Praxagoras, Diocles, Asclepiades, Soranus Ephesius, Oribasius, Scribonius, Largus, Galenus, Aetius, Paulus Aegineta, Pollux, Actuarius, Theodorus, Priscianus, Cælius, Aurelianus, Serapion. Halyabbas, Razes, Auenzoar, Alsaharauius, Auicennas, Auerroes.

*Cornelius Celsus, Plinius, Solinus, Petrus ἄπονος, Conciliatorem uocant, Theodorus Gaza, Gentilis Fulginas, Bartholomæus Montagnana, Michael Sauonarola, Antonius Beniuenius, Marcellus, Virgilius, Ioannes Ruellius, Manardus.*

ILLVSTRISS. ATQVE
Reuerendiſs. D. Domino Rodulpho Pio
Cardinali Carpenſi, Epiſcopo Fauen-
tino Piceniq; Legato, Hierony-
mus Gabucinus Fanenſis me-
dicus. S. P. D.

Eracletum ſummum olim philoſophum hu-
milẽ aliquãdo caſam, furnariam uidelicet in
greſſum, hyberni frigo
ris uitãdi fortaſſe cauſ
ſa, diutius ſediſſe fe-
runt. hic quum interim à quibuſdam quærere-
tur, quos eum uiliſsimum locum introiſſe pude-
ret: ſubridens introite inquit, ſiquidem adſunt
hic etiam Dii. Graue profecto dictum ac ſum-
mo philoſopho dignum. nam etſi nobile ſtudium
illud exiſtimari debet, quod nobilem circa rem,
ſcitúque dignam uerſatur, ueluti quod de animæ
ſubſtantia, de Cœlo, déque Deo ipſo fieri ſolet:
non adeò tamen contemnendum uidetur, quod

circa uiliſsimam ferè materiam exiſtit: ut nun-
quam ad hoc digneris accedere. à Deo etenim ui
liſsima quoque originem ducunt. Eſt etiam in eo
utilitas non parua, quæ ab homine medico pari-
ter ac philoſopho negligi nequit: utpote quod ne
que Hippocrates, neque Ariſtoteles aſpernati
ſunt. quum rerum natura nuſquàm magis quàm
in minimis tota ſit. Quinetiam quum rerum
cauſſas cognoſcere pulcherrimum ſit: hac una co
gnitione perfici homo abſoluiq; poteſt, ut Deo
optimo maximo ſimilis, quoad eius fieri poteſt,
euadat. Quum igitur Illuſtriſs. pariter ac Re-
uerendiſs. Princeps Lumbricorum aluum occu-
pantium curatiuæ methodi commentarium mihi
conſtituiſſem: uix dici poteſt, quantum poſtea
temporis iacturam ægre tulerim: qui in nobiliori
doctrinæ genere ingenium colere & exercere po
tuerim. Sed Heracleti prudens dictum ſtatim
ſubit in mentem, Deos immortaleis hic etiam
adeſſe. quo factũ eſt, ut æquiori animo id ipſum
pertulerim. Et quamuis hoc ſtudii genus ampla
quadam careat grauitate, ſpernendum tamen
non duxerim. Accedit etiam quod nullus ferè,

quod sciam, adhuc extat, qui rem hanc omni ex parte excoluerit, & elaborauerit. Siquidem multa de differentiis, de materia, de loco generationis Lumbricorum ab aliis insipide quidem & falso dicta fuere: multăque pluribus explicata uerbis, quæ breuiorem desiderabant orationem: quæ uerò econtra paucis absolui poterant, longa uerborum serie declarata. Sunt & qui prompte ad omnia annuunt: atque ob id quæcunque inueniunt, ad eam quam tractant, materiam congerunt. Eo namque stupiditatis quidam deuenere, ut præcantationes præstigiaturásq; Lumbricis curandis admittant. Vt igitur illorum euitarentur absurditates, hos commentarios facere studuimus: qui & ueritatem quantum fieri potest, & artis intenderent utilitatem. quos tibi Reuerendiss. Præsul, nuncupare statutum est: ut mei erga te grati animi notas contueris: qui iam diu te ipsum suspicere, ob incredibilem tuarum uirtutum magnitudinem, & admirari cepit. quas si altius persequi uelim: uereor ne idem mihi obiiciatur, quod illi, qui apud Lacedæmonios de Herculis laudibus age-

*re uoluit. Quis Herculem uituperet, aut minus bene de eo sentiat? quis illum non inter Deos immortaleis enumeret, colat, obseruet, ut tu laudare uelis? Lacedæmonii subdiderunt. tanta enim est tua apud omneis existimatio, tanta authoritas, ut frustra quis prædicet. is enim est, qui in omni disciplinarum genere ætatis nostræ gloriam exornas: cui accommodari potest illud, quod de Varrone scripsit Terentianus. Vir doctissimus undecunque Rodulphus, imò absolutissimum naturæ opus, unúsque omnium prorsus ab omni parte beatissimus, cui si contingat aliquando Christi Domini in terris uices gerere, quod faxit Deus: quæ magis aurea ac felix ætas, quod beatius seculum inueniri unquam poterit? Verum hactenus hæc. Eo uerò scribendi modo in ipsis usi sumus, ut ad extremam sese breuitatẽ neq; contrahant, neque ad tantam prolixitatem protrahantur: uerum mediocritatem quandam, à principio usque ad finem seruent: omnia illa demonstrantes, quæ oportet eum necessario cognoscere, qui rectè huius affectus cognitionem qualis fuerit, scire*

*auet. non omnia quidem transigentes, sed ea enarrantes, quæ ab aliis obscure sunt tradita: quæ uerò intermissa, hæc addentes: quæcunque uerò manifeste ac rectè à ueteribus scripta sunt transcribentes, aut iis quæ sunt ab aliis male dicta contradicentes, ut longum opus euitari ualeat. Nec uero ignoro à nobis nondum esse satis discussam hanc Lumbricorum materiam, & quærendum esse aliquid perfectius. quis enim eorum, qui hos nostros commentarios animaduertunt, non intelligit Michaelis Sauonarolæ, & aliorum eadem de re tractationes (ut ingenuè fatear) rudiores esse, quàm ut imitẽtur ueritatem? Similis in pictura cæterisq; artibus ratio est: si antiqua nouis cõferre licet: in qua Zeusim & Polygnotum, & Timantem, & eorum qui nõ sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas & lineamenta laudamus: at in Ectione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecte sunt omnia. ut interim omittam medicinam ipsam, ad quam omnem aperuisse uiam uisus est Hippocrates, sed ita tamen ut ea curam diligentiãmq; ad absolutionem desideraret. quam tamen Galenus*

post modum perfecit, Hippocratisq; scripta pel lucida fecit. nihil enim est simul inuentũ & perfectum. nec dubitari potest, quin futuri sint post nos medici ac philosophi, qui rem hanc ornatius, & artifice magis (ut ita dicam) stylo, & maiori doctrinæ ui absoluant. E quidem illis fonteis ueluti, unde hauriem, atque itinera ipsa ita putaui esse demonstranda: non ut ipse dux essem: id enim perridiculum maximè foret & non necessarium: sed ut commonstrarem tantum uiam, & ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem. Si qui uerò ita ocioſi, ut non nisi alios damnandi caussa nati uideantur, extiterint: qui hæc qualiacunque fuerint, nostra impugnent: id ipsum iis respondsum uelim, quod Antimachum clarum poetam ferunt, qui quum conuocatis auditoribus legeret eis magnum illud uolumen suum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquissent: legam inquit, nihilominus: Plato enim mihi unus instar est omnium. Te uerò quum maioribus distrahi sciam negociis, atq; optimarum ac liberalium sacrarúmq; literarum studiis summopere intentum: haud ambigo tamen, ubi ab officio

dabitur respirandi facultas, quin hosce commẽta rios nostros sis libenter perlecturus. qui si facies, ueluti quæ tua est humanitas facturum confido, tu mihi unus instar omnium eris, sicuti & semper fuisti. Spero etiam hisce uigiliis perinde ac sub Aiacis clypeo Teucer Homericus, ita sub nominis tui uel potius numinis auspicio non parum authoritatis accedere posse: & me non mediocrẽ patrocinio fretum tuo apud studiosos gratiã inituru. Scient. n. siquid boni fuerit in his cõmentariis, à te ipso emanasse, qui adeò literarũ studiosos foues & amas, ut omnes unà te suspiciant & uenerentur. Si quid uerò minus boni, ingenii mei uires culpabit: quæ ardore quodam animi concitatæ alta semper contuentur & affectant. Sed par est, ueluti Marcus inquit Tullius, omnes omnia experiri, qui res magnas & magnopere expetendas concupiuerunt. quod si quidem aut natura sua, aut illa præstantis ingenii uis forte deficiet: aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit; prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consi-

*ſtere. ut enim Ariſtotelem in philoſophia non deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis, nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia & copia cæterorum ſtudia reſtinxit: ita & nos ut ingenii noſtri uires experiremur, hæc doctis elaborauimus. Accipe igitur Illuſtriſs. pariter ac Reuerendiſs. Princeps ſolita clementia noſtras elucubrationes, atque eas qualeſcunque fuerint, non aſpernator: quando ex Lycurgi legibus Dii ipſi immortales ex præſentibus iisque tenuiſsimis rebus expedite facileque placari poſſunt. Vale, Præſidium & dulce decus meum.*

*Ex Fanofortunæ Idibus Octobrib.*

M D XLIIII.

GENTILIS ARNVLPHVS
Ariminenſis medicus, Hieronymo Gabucino Fanenſi. S. P. D.

Ommentarium tuum ſuauiſſime Hieronyme de curandis Lumbricis aluum occupantibus perlegi: ac ſæpius ſumma cum animi iucũditate reuolui. Nam quũ taleis ingenij tui primitias habeamus, multo maiora in dies expectanda polliceris. Notaui quàm doctè Lumbricorum materiam ſcrutatus fueris: nullibi laborì parcens, aut aliquid intentatum relinquens, ut Ariſtotelis & medicorum omnium placita adducens clariorem effeceris. tum quàm accuratè eorum notas & diſtinctiones ſubnectas. demum qua ubertate præſidia appoſueris: ut quod à te prætermiſſum fuerit, nemo deſiderare poſſit. Taceo quæſtionum, quæ plurimæ ſcatent, enodationes luculentas, eloquutionem non uulgarem. Illud in primis laudauerim, quod nullius authoritatem tanti feciſti, ut abſque examine illi accedendum duxeris. Gratulor igitur tibi mi Hieronyme: nec quicquam mihi gratius potuit contingere, quàm in te, quem haud ſecus ac filium amo: tantam ingenij felicitatem contemplari. hortor tamen ut hic gradum non ſiſtas, ſed maiora in dies aggrediaris.

*poteris enim & multos scribendo iuuare, & glo=riam tibi immortalem parere. Bene uale: & me, quod facis, ama. Arimini Idibus Aprilibus.*

M D XLII.



# HIERONYMI GA-

## BVCINI MEDICI FANENSIS

*de curandis lumbricis aluum occupantibus.*

## COMMENTARIVS.

### De interaneorum animantium nomini-bus. Caput primum.

VT dilucidius intelligantur ea, quæ in hoc opere explicare decreuimus, protinus ab initio quid sint uentris animalia definiendũ est: deinde quot in uniuersum sint eorum primæ ac simplices differentiæ: postremo quid quæq; seorsum sit, aggrediemur. Secundo ab hoc loco, an morbus sint, an symptωma: frustrà siquidem curatio eis adhiberetur, nisi uel ut morbum curandum, uel ut symptωma remouendum sese nobis offerrent. postea quo pacto, & quam ob causſam eorum in corpore humano fiat generatio: quo cognito, ex qua fiant materia, & qua potißimum corporis parte progignantur, uestigabitur. Qua uerò ætate, quo've sexu, & quibus temperaturis, anni've temporibus plurimum abundẽt, perquiretur: multaq; interim ad rem facientia dicentur. demum prognostica, notas curatiuamq; methodum aggrediemur. Quid uerò ipsa sint, naturalis contemplationis munus existit: ne tamen omninò quid essent ignoraremus, eorum

Lumbrici alui qd sint.

saltem nomina explicare uisum est. cognito siquidē nomine statim uenit in mentem quid sint: sunt enim corpora animata in corpore. & quum plures differentiæ habeantur, eas prius quæ nā essent in mediū afferre statutum est: ut quid postremò earum quæq; esset, posset intelligi. Incipiendum autem ab eo nomine uidetur, quod omnium communius esse nemo non probat: nempe ab elmynthe. Lumbrici igitur intestinorum ac uermes, siue tineæ elmynthes generis nomine græcis nuncupantur: quandoque tamen elmyntharum nomen & latos & teretes tantum significat: interdū uerò teretes solos: sicuti & lumbricos omnia interaneorū animalia latinitas nuncupauit. quod enim Græci ἑλμυνθας dixere, lūbricū Romani sunt interpretati. quo nomine teretes tantū & ipsi quandoq; significarunt. quū. n. lūbricos simpliciter nullo adiecto legimus, teretes tantū intelligi obseruatū est: q, si quando alij significantur, non simpliciter, sed cū adiectione, lati uel acarides: ueluti et quū omneis lūbricorū differentias hoc nomine cōplecti ueteres uoluerūt uocis huius additione omneis, uel cunctos semper ferè scriptum reliquisse comperimus. Tinearum præterea nomen eos tantū, qui lati uocitantur: latius tamen sumpto uocabulo omneis lumbricorum differentias significat. ucluti apud Plinium legitur qui sæpissimè lumbricos uentris tineas uocat. ubi illud notandum, quod Marcellus Virgilius admonuit, qui si quando tineæ lumbrici leguntur apud Plinium tæniæ legi posse testatur: idq; ex errore fortasse scriptorum aut castigatorum Græcorum medicinæ parum peritorum euenire contendit. σκωλήκια uerò id Græcè sonat q,

Elmyns.

Lūbricus

Tinea.

Lib. naturalis hist. 26. cap. 8. & lib. 28. cap. 14.

Tineę uēris.

Cap. de costo.

Marcelli obseruatio.

Fascia uel corona nobis significatur: ab extensione nuncupata: quod instar fasciarum sit lata & longa. Siquidem per tota circumuoluta extenditur intestina, ac ueluti corolla in seipsam ducitur. Ex qua re eiusdem Marcelli incuria deprehenditur. qui tæniarũ appellationẽ ascaridũ generi cõ petere ob similitudinem (ut inquit) quos q; hæreãt, motúq; careant græcos sic appellasse testatur. quod an uerum sit, quiuis nouit. non enim hi extenduntur, nec longi sunt, insularũ more, imò parui ac breues: recto uerò non cohærẽt intestino, motúq; non carent: quin potius illic incessanter mouentur: ueluti notatio nominis indicat usq; adeò. n. uehemens, quẽ ano afferunt illi, pruritus existit, ut semper animal extimulẽt. ueluti statim cõmõstrabitur. Sunt & tineæ peculiari uoce bestiolæ quædã, quæ lanis puluerulẽtis præcipuè nascuntur atq; ẽt magis si araneus unà includatur. nascitur & in tunicis hoc idẽ uermiculi genus: cuius meminit Aristot. eos uerò lũbricos, qui ima in sede procreãtur, quũ propriũ sint nomẽ sortiti, ascaridas usitato nomine nũcupamus. Quo loco nec illud omittẽdũ uidetur, q; Hippocrat. uẽtris interdũ hæc animãtia feras nũcupauit: ut quæ asperrimè in corpora sæuiãt. quæ res Marcello nõ probatur: illud nec Dioscorides nec alijs scriptoribus dicẽs cõuenire. q; uentris quæcunq; uoluerit aliquis animalia τὰ θηρία appellentur: qua uoce nunquam (ueluti ait) ueteres usi sunt, præterquàm in bestijs, aut uenenatis his, quæ ictu morsu ve uenenum relinquunt: & in quorum exiguo corpore maxima nocendi uis regnat: suspectumq; tãtummodo ipsi Dioscoridis locũ esse, nõ tamẽ damnãdũ: quãdo et Serapio

Tæniæ. ταινίαι. Cap. de costo.

Marcelli incuria.

Tineæ.

Li. de natura animaliũ 5. cap. 32.

Ascarides.

Færæ. Cap. de melimelis Marcelli hallucinatio θηρίων.

nis (ut inquit) ætate hæc erat huius loci lectio & intellectus: peritioribusq; quale id sit censendum relinquens. Sed præstat Marcello ostendere quibus in locis ueteres, in primisq; Hippocrates hac uoce usi sunt. is enim sexto de morbis uulgaribus libro hæc scripta reliquit. τῶν γαστέρων αἱ διφορέαι παραχὴν φέρουσιν, οἷον ποσειδωνίη, καὶ τὰ θηρία οἷα ἐνεποίει. Id ipsum suadet Galenus in eo, quem de Hippocratis antiquorum nominum interpretatione scripsit commentario: qui uentris animalia τὰ θηρία interdum Hippocratem appellasse commemorat. ut interim omittam, quæ alibi idem author scripsit ad hunc modum. τὸ θηριῶδες φθινοπώρου, καὶ αἱ καρδιαλγίαι, καὶ ὁ φρικώδης, καὶ ὁ μελαγχολικὸν. quo loco Galenus & Alexandrinus interpres uoce illa ὁ θηριώδης Lumbricos uentris Hippocratem uoluisse contendunt. Quid multa? nonne quarto de affectibus libro, qui locus lumbricis proprius ab Hippocrate dicatus est: eosdem feras nuncupauit? dum ait. γίνεται δὲ καὶ τόδε. ὃς ἔχει τοῦτο ὁ θηρίον ἐν μὲν τῷ ξύμπαντι χρόνῳ τείνοντι κάρτα. quibus fit ut minus mirum uideatur, si Dioscorides lumbricos uentris τὰ θηρία nuncupauerit. Nos igitur ijs nominibus quamque lumbricorum speciem nuncupabimus, quæ usu sunt, ac ueterum testimonio comprobata. siue etenim interaneorum hæc animantia lumbricos, siue uermes tænias ue, siue demum elmynthas aut etiã feras appellare quis uoluerit, sciat ipsum generis nomine uti: quum & eorum speciebus, aliisq; extra corpus animalis ex putri materia ortis animantibus conueniant. Ut

Part. 7. aphorismo. 6.

Eodẽ libr. part. i. apho. 13 θηριώδης.

Nominibus usitatis utẽdũ

uerò omnis uitetur ambiguitas, cuiq; eorum ſpeciei nomina imponere operæpretium fuerit: & quidem magis quo ad eius fieri poterit, uſitata, atque à ueterum medicorum ſententia non aliena. Elmyntharum igitur nomina tot ſanè ſunt, quot eorum ſpecies eſſe ſolent: ſunt autem tres. (ueluti poſtea commonſtrabitur.) lati, qui & κειρίαι ſimul & ταινίαι: rotundi, qui στρογγύλαι & teretes à Celſo nuncupantur: & ἀσκαρίδες. Horum nominis ueriloquium & à forma qua præditi ſunt, & ab affectibus, quibus ij afficiuntur, in quibus procreantur, colligi poteſt: ut interim mittam cæriæ nomen, quod à ſimilitudine quam ad inſtitas habet, deductum uidetur. Hic igitur latus longuſq; eſt inſtitarum more, tota complectens inteſtina: de quo inferius agetur. στρογγύλαι uero ab ea, quã habeat, forma nomẽ traxere. ſunt enim rotundi in acutum tendentes ac turbinati: id quod nomen ipſum ſignificat. Aſcaridum uerò notatio nullibi quod meminerim, legitur: ueri tamen ſimile uidetur eam uocem ab eo deduci, quod eſt ἀσκαρίζειν. ſiquidem ſedi circa quã conſiſtunt, uehementem pruritum inferentes, aßidueq; commoti animal continuò extimulant. Hactenus lumbricorum nomina: eorum differentias, quæ & quot ſint, explicemus.

Elmyntharum ſpecies.

Lati lumbrici.

Li.4.c.17. κειρίαι

στρογγύλαι Tertes lũbrici.

ἀσκαρίδες.

Cæria unde dicta.

στρογγύλαι unde.

## De lumbricorum generibus: atque Auicennæ cum Galeno cæteriſq; Græcis authoribus concordia. Cap. II.

LVmbricorum tria eſſe genera, quum Ariſoteles, tum priſci omnes Græci medicinæ authores memoriæ prodiderunt: latos, teretes,

Lib. de natura animaliũ 5. cap. 19.

3.aphor. atque aſcarides. Hippocrates uerò Celſuſq; duo: ſiquidem
apho.26. latos ille, aſcarides hic ſubticuit. Cur uerò Hippocrates
Li.4.c.17 nullam fecerit latorum mentionem, Galenus oſtendit: qui
ſextum exponẽs ac uiceſimũ libri tertij aphoriſ: ob id Hip
pocratem latos ſubticuiſſe ſcribit: q, non eius erat propoſi
tum de omnibus agere paſſionibus, quæ mortalibus obue=
nunt: ſed de illis tantum, quæ in ſingulis fiunt ætatibus.
Hoc autem loco addubitare licet ac quærere, q, quum con
ſtet latum lumbricum hominibus nonnunquam infeſtum eſ
ſe, ipſum aliqua ætate eoſdem conſiſtenteis offendere neceſ
ſe eſt. uel ergo in infantia pueritiáve, aut adoleſcentia, uel
potius aliqua ſequentium ætatum naſci latus lumbricus de
bet: in qua autem fieret Hippocrates omiſit. uel ergo homi
nis breuitas ueluti obſcura ac diminuta damnanda: uel Ga
leni in eum defenſio ueluti nullius penſi reiicienda. An q,
latus lumbricus ad nullam commemoratarum ætatum de=
terminatè poteſt referri? quum enim in omnibus fiat ætati
bus, nullius proprius affectus dici poteſt. quandoque enim
infantiam, pueritiam quandoque, nonnunquam adoleſcen=
tiam, primam interdum ſenectutem, aliasq; ætates occupa
Cap.9. re liquidò conſtat. ueluti inferius commõſtrabitur. nõ miri
igitur ſi in aphoriſmis lati lumbrici nõ meminit Hippocra
tes: ut qui nulli determinatè conueniat ætati. nec ineptè Ga
lenus eo, quo dictum eſt modo Hippocratẽ tuetur. Ac ma
gis quæras, Hippocratiſq; defectum proſpicias: ſiquidem
quarto de affectibus libro latum inquit lumbricum in pue
rulo intra matris uterum adhuc exiſtente, ueluti & tere
tes produci: hic uerò, qui locus erat proprius, ne uerbũ qui

dem dixit. An quod in aphorismis eorum tantũmodo morborum commeminit, qui in singulis ætatibus contingunt? q, uerò, dum fœtus in utero existit, tempus apparet, ætas nullo pacto esse dicíve potest? Celsum uero ob id ascaridas subticuisse autumo, quia ijs non ita crebro infestantur homines, ac præcipuè pueri: nec adeò multa ac sceua inducunt symptomata, ueluti teretes latiq; præter sedis imæ pruritum. accedit etiam q, facilius curantur: licet ualentiora exposcant præsidia: ueluti postea ostendetur. Auicennas autem dissentire uidetur: qui adeò (uti solet) confusè loquitur: ut nec quid scripserit, nec quid senserit liquidò possit intelligi. in quibusdã. n. exẽplaribus treis tantũ, in quibusdam quatuor species proponuntur: in omnibus uerò ita obuolutè, ut non sit eas facilè explicare. siquis tamẽ diligẽtius introspiciat, treis quoque, nõ quatuor, (ueluti nõnulli falsò putãt) ab eo positas animaduertet, licet pluribus uerbis expressas. p lõgos. n. unã, p latos & rotundos alterã, p ascarides & paruos tertiã intellexit. q, sanè constabit, si quis ea uerba considerat, in quibus quũ eorum differẽtias tũ ex loco, tum ex materia generationis uellet ostendere, non nisi trium meminit differentiarum. ita nanq; post multa ait. Et illi, qui sunt & humiditate in intestinis supiorib. sunt pp humiditatem dictã in primis: & qui sunt pp humiditatẽ in intestino recto, sunt pp humiditatẽ dictã in secũdo: & qui sunt in monoculo & intestino colo, sunt pp humiditatem dictam in tertio. & reliqua. Sed & sequenti capite, in quo de signis agitur, nõ nisi triũ generũ notæ conscribũtur. ĩ utroq; . n. loco p latos et rotũdos eos ĩtelligit;

Cap. 26. 16 tertii tr. 5. ca. 2.

quos latos Galenus Paulusq; appellarunt. Quæ enim secundo capite de latis ac rotundis dicuntur, quòd ueluti pãniculo quodam integuntur: ex Paulo de latis loquente sunt accæpta: licet barbarie sunt fieri assolet, obtenebrata. Latorum quoque notæ ac rotundorum capite tertio descriptæ, quæ & ipsæ ex Paulo sunt transcriptæ, clarißimè ostendunt eosdem esse, qui apud Auicennam lati ac rotundi, & qui apud Paulum lati absolutè nuncupantur. Quod uerò qui ab Auicenna tertio canonis modo simul ascarides & parui, modò ascarides tantum, modò parui tantum dicuntur: primo uerò canonis libro minuti nuncupantur; ij sint, qui à Galeno ascarides simpliciter dicuntur, testatur Galenus ipse, qui loco supra iàm commemorato ita scriptum reliquit. Sunt Ascarides tenues quidam lumbrici in parte maximè inferiore craßioris intestini geniti: & reliqua. Quæ enim de loco generationis paruorum ab Auicẽna scribuntur, de ascaridibus à Galeno & alijs dicta sunt. Quæ uero de ætate ascarides producente ab ipso dicuntur, ex Hippocrate & Galeno sunt accæpta: qui nullo pacto de latis intellexerunt: quandò nec eos quidem nominasse eo loco Hippocratem testatur Galenus. Tùm capite quoque tertio in quo notas recenset: quæ de sedis pruritu & aßiduo paruorum motu dicuntur, similia sunt his, quæ de ascaridum notis Paulus et Aetius scripsere. Quòd uerò capite quarto scribitur medicinas ascarides necanteis & rotundos, interficere etiam longos: Galenus id ipsum prior asseruit: licet ordo sit in Auicẽna præposterus. ait enim ultimo therapeuticæ methodi libro ad hunc modum.

16. tertii tr. 5. ca. 2.

Tertia primi doc. 2. cap. 3. 3. aph. 26

At teretes quidem abſynthium perimere poteſt: lati uehementiora præſidia poſcunt, quale filix eſt: pari modo & quæ ἀσπαράγις græcè dicitur. Quoniam uerò ambigi non poteſt hic ab Auicenna dici longos, quos Galenus uocauit rotundos: & quos idem latos, Auicennam uocaſſe rotundos: ita clarum cuique eſſe debet ab utroq; eoſdem uno nomine uocatos aſcarides: qui ſcilicet ſunt ab his, quæ bibuntur, (ueluti ait Auicennas) remotiores: ut potè qui in parte maximè inferiore, craſſioris inteſtini geniti. Nec ſexti, ſeptimiq; capitis inſcriptiones quicquã faciunt: ut quæ ſemper ab authoribus ipſis, ſed à quouis potius prolibito conſcriptæ. Solent enim capitum ſectiones inſcriptionesq; quum in alijs, tum in Auicennæ libris plærunque mentiri: ueluti intuentibus facilè patere poteſt. Mendam uerò in ſexti capitis inſcriptione uel hoc oſtendit, quòd ſtatim poſt primum præſidium latorum auxilia ſubſcribuntur: deinde toto fere capite ea, quæ ſunt omnibus ſpeciebus communia. Sed & Cedriam, quam ἵτρων nomine appellat, et quam conferre ſcribit aſcaridibus, ſequenti capite in paruis bis repetit: quam unice aſcaridibus auxiliari Paulus contendit. Satis igitur abunde oſtenſum arbitror Auicennam ab alijs circa ſpecierum lumbricorum numerum non diſſidere: modò eius uerba rectè legantur: ueluti dudum Manardus legebat: à quo hæc omnia fere uera quum ſint, exſcripſimus. ita namque principium ſecundi capitis legẽdum putabat. Longi, & lati, & rotundi, & aſcarides & praui. et uerbum lati, ſecundo loco in quibuſdam codicibus etiã hebræis ſcriptum, omninò ſuppoſititium putabat. quẽ

16. tertii tr. 5. ca. 4.

Li. 4. c. 58

Li. 4. epi. med. epiſtola 1.

cò libentius ſecuti ſumus, q, eandem lectionem in uetuſtiſſi mo ac manuſcripto codice membranaceo legimus. Scrupus uerò ſupereſt circa lumbricorum ſpecies haùd ſanè contẽ nendus. qui enim cucurbitini uocitantur, ad nullam dicta rum trium ſpecierum pertinere uidentur: quartanq; pro pterea p ſeſe putari poſſunt ſpeciem conſtituere: ueluti re centiorum quidã prodidere: latos in duas ſpecies diſtinguẽ tes: in longos ſcilicet ac breueis: illos aſcarides, hos cucur bitinos nominantes. Oribaſium fortaſſè imitati, modò ho
Aph. 30. minis ſint commentarij in tertium aphoriſmorum librum: qui aſcarides contra omnium Priſcorum ſententiam cucur bitinos appellat. Nec deſunt, qui cucurbitinos pro genere capiunt: quòd in diſiunctos ac coniunctos, ueluti in ſpecies diuidunt. Sunt & qui latos ad cucurbitinos referunt, Aui cennæ cum Galeno cæterisq; diſſidium auferre perſuaſi: quum potius econtra cucurbitini ad latos referri uidean
Cap. ſe quenti. tur. ueluti poſtea demonſtrabitur. Sed profecto negari nõ poteſt Arabum quoſdam latinè loquentes authores cucur bitinos pro latis ſimpliciter ponere. Verum hæc diſcepta tio ad nomen ſpectat: illud potius ad rem, an lumbricus re
Li. 4. c. 58 periatur, qui ſit cucurbitæ ſemini non abſimilis. Paulus ete
Lib. 9. Ae nim alijq; corpuſcula illa eucurbitæ ſeminibus perſimilia
tius. c. 40. non in lumbricorum numero, ſed inter lumbrici lati notas connumerant. Illud tamen clarum fiet ſequenti capite, ubi lumbricorum omnium deſcr iptiones tradentur.

Lumbricorum omnium generum descriptiones: & de lato plura. Cap. III.

LVmbricorum tria esse geuera suprafuit commonstratum: quid autem eorum quodque sit, operæprecium fuerit explicare. Latus igitur lumbricus (ueluti scribit Paulus) est mutatio ut ita dixerim, interaneæ intestinorum membranæ ad animalis corpus: qui quandoque per parteis, plærunque tota simul excernitur, incredibilem speciem magnitudinis præbens. Aetius quoque eadem ferè scribit adhunc modũ. Latus lumbricus est, ut quispiam dixerit, transmutatio membranulæ tenuia intestina introrsum subcingentis ad animale quoddam corpus. uidentur autem utrique authorem libri de morbis sequuti: siue ille Hippocrates, siue alius fuerit: qui ita scribit. Est autem species eius ueluti abrasio intestini alba. Eius notæ sunt, quòd excernantur interdum nonnulla cucumeris seminibus haùd omnino dissimilia. Ego uerò nil aliud latum lumbricum esse existimo, quàm, ut inquit Hippocrates, abrasionem ueluti intestinorum albam tota complectentem intestina: intra quam cucurbitæ semini similes animantes procreantur: & quidem uitam sensilem uiuentes: quæ tunc excerni uideatur, quum intestinorum illa ueluti abrasio alba non tota simul excernitur, sed eius tantum modo portio: id quòd sæpe licet uidere: rarissimè uerò tota simul excernitur: frequentes per parteis educitur, quæ si in excre-

Li. 4. c. 57

Li. 9. c. 40

Lib. 4.

tione frangatur, tunc licet intueri lumbricos illos cucumeris semini simillimos seorsum excretos, interdum plureis simul complicatos, interdum pauciores. si quis uerò totam illam abrasionem animatam uiderit, sciat non abrasionem illam, ideſt latum uocatum lumbricum, sed cucumeris simi les animantes intra ipsum uiuere. hunc ego lumbricum mi ræ olim longitudinis palpitantem conspexi, & motu se se locali commouentem: quem mulier quædam in febre quo tidiana egesit. quumq; illum summopere suspicerẽ, eiusq; motus causſam ueſtigarem: ecce tibi alter paucis ab illis diebus, qui lati lumbrici portionem effatu dignam excreuiſ se dixit: quam ueluti mirum quid nobis oſtenſurus, incre= dibili sui cum deſiderio monſtrauit. hæc autem portio seſe commouebat: quo factum eſt, ut accidius motus ipſius cauſ ſam ueſtigarem. diligentiſſimè tandem perquirens, per eius totam cauitatem cucumeris ſimilium animantium se= riem seſe mouentium ipſi motam præſtare conſpexi: quæ ex ea ueluti ex quodam lectulo prodibant: interdum unum, duo simul interdum complicata, plerunque quatuor, plu= ra ve: atque eam abraſionis portionem quæ uacua ab huiu scemodi cucurbitinis segmentis animatis erat, nullo pacto moueri, imò ſubſidere: quo factum eſt, ut latum lumbricum nil aliud eſſe exiſtimẽ, quàm mucos intra inteſtina congeni tos, uel mucoſam pituitam inteſtinorum frigiditate adden ſatam, loricæ modo inteſtina introrſum ambientem: quam mulieres aſsidentes lectulos uermium uocant. Ex qua muco ſa materia cucurbitæ ſimiles animantes, coneeptus more producuntur: qui à ſecunda nuncupata membrana in=

tra uterum primum è semine genita undiquaque contegitur. Huic sententiæ suffragatur Auicennas his uerbis. & lati & rotundi sunt, ac si progignãtur ex ipsis uiscositatibus fixis in superficie intestinorum, quas comprehendit panniculus mucosus uelans eas, quasi ipsi generentur ex eo, & in ipso putrefiant. Idem & Clarius Antonius Beniuenius Florentinus testatur: qui in Auimonis thermis, quæ sunt in agro Senensi mulierem uidisse scribit: quæ continuis septem diebus aqua epota complures tãdem ex eis, quos medici, propterea quòd cucurbitæ semina imitantur, cucurbitinos appellant, lumbricos eiecit. qui usque adeò inter sese, dum alter alteri mordicus inhæreret, iungebãtur: ut quum sua ipsi serie quatuor cubitorum longitudinem excederent: unum tamen corpus, unum duntaxat lumbricum existimares. Nec ob id quartam lumbricorum differentiam positam quis putet, quam superius tollere studium nobis fuit, non enim cucurbitæ illæ semini similes animantes per sese quartam lumbricorum speciem facere, nec easdem per sese latos esse lumbricos asseuero: uerùm iuxta priscorum placita eorundem notas fore contendo. illud tantum modo asseruerim corpuscula illa cucurbitina animata quum sint, (id enim cuiq; est in confesso) in caussa esse, ut latum illud interaneorum spolium, q, latum uocant lumbricum, moueri, & per se consistere uideatur: quum tamen re ipsa nec per se consistat, nec animal esse ullo pacto possit. quum uero corpuscula illa excernuntur, indicio esse, quòd in animalis corpore latus lumbricus reperiatur. Nec obstant quæ à Paulo & Aetio de horum

16. tertii tr. 5. ca. 2.

In cõm. de miran dis morborũ causis, c. 87.

*ſymptωmatis ſcripta leguntur: quando continua ſtomachi roſiones, ac ciborum impotens appetentia non ab eo, ueluti per ſe animato lato lumbrico inferuntur: ſed ab ijs, qui in ipſo ſunt, cucurbitinis animantibus: uel ſi mauis ab ipſo inferri, non quatenus animans eſt, ea inferre putandum eſt, quum ſit inanimis: uerùm ob eius materiæ putredinem & actitudinem. ab eiuſcemodi nanque materia in uentre collecta eadem ſæpe ſymptωmata prouenire compertum eſt. Quòd uerò quæ nuper diximus de lato lumbrico uera ſint, Ariſtoteles oſtendit: qui omnia quàm bre*
Cap. 19. *uiſſimè libro de natura animalium quinto retulit ita ſcribens. Latum autem illud ſolum inteſtino adhærens parit ſimile cucumeris ſemini, quo indicio medici id genus lumbrici in eſſe intelligunt. quibus uerbis luce clarius colligitur latum lumbricum inteſtinis adhærentem ſolum inter alia lumbricorum genera parere cucumeris ſemini ſimilia animalia: quæ poſtmodum egeſta indicium præſtant potiſſimum inter alia multa latum lumbricũ inteſtinis ineſſe hæc nanque ſunt ueluti anima lati lumbrici. Huic ſententiæ adſtipulatus Serapion capite de filice latos græcorũ lumbricos cucurbitinos nuncupauit. ubi enim Dioſcorides & Galenus latos habent, cucurbitinos ſcribit: quaſi diuinarit hoc idem, quod ipſi aſſerere contendimus. Latis ſcilicet lumbricis à nobiliori eorum parte, id eſt ab anima nomenclaturam tradens. ponimus etenim nos cucurbitæ ſemini ſimilia animantia latorum eſſe ueluti animam, motricem ac ſenſilem ipſis facultatem ſubrogantem: quæ ſi interdum excernuntur, eorum potiſſimum indicium præ-*

ſtant, ueluti omnes teſtantur. Quòd uero per cucurbitinos Arabum, latos Græcorum lumbricos audire debeamus: colligitur etiam elariſsime apud Auerrhoem, qui ſeptimo collectaneorum libro eadem ſcripſit, quæ de iiſdem libro therapeuticæ methodi poſtremo Galenus prodidit. ubi quæ latos interficere ſcribit Galenus, Auerrhois cucurbitinis aceommodat. ut interim Halyabbatem, Aucnzoar, & Alſaharauium mittam: quorum quiſque latos græcorum lumbricos, cucurbitinos appellat. Ex hoc igitur clariſsimè conſtat neotericorum erratum: qui cucurbitinos ideò uocari lumbricos dicunt: quòd ij in uentriculo ſubeunt ortum, qui ex Auicenna quem citant, cucurbitæ figuram à natura ſortitus eſt: quum conſtet cucurbitinos ideò nuncupari, quòd cucurbitæ ſeminibus ſimiles omninò ſunt: non quòd à loco, in quò falſo procreari dicunt, ueluti inferius commoſtrabitur, qui cucurbitæ ſimilis eſt, æthymologiam ſortiantur. non enim eos uidemus inflexos perſiſtere, ueluti eſt cucurbitæ collum, cui uentriculum adſimilem eſſe unà omnes conuenere. Verùm quandò plurimum, quàm neceſsitas poſtularet, digreſsi ſuimus: ad inſtitutum ſermonem redire fuerit operæprecium: ſi prius illud dicetur latum lumbricum rarò inueniri: tum quia rara eſt lati lumbrici generatio: tum quia dimiſsi non conſiſtunt. atque hinc fieri putandum eſt, ut aſsidentes plærunque inter excrementa neſcio quid medico oſtenſuri fruſtra perquirunt: quod tamen per ſe prius uidiſſe teſtantur. Nec aliud quicquam Plinium per illam tricæ=

Cap. 57.

Theoriæ 9. c. 4.

Michaelis Sauonarolæ ineptia. 13. tertii tr. 1. ca. 1. Cap. 8.

Lib. naturalis hyſt. 2. cap. 33

num pedum tæniam, quam hunc ipſum latum lumbricum intellexiſſe putandum eſt. στρογγύλαι ſecundam conſtituunt lumbricorum differentiam, eamq; omnibus perſpicuam. quòd ſanè alijs frequentiores ſint: ita nuncupatæ, quòd re uera teretes atque rotundæ appareant: ſiue ex loci qualitate id fuerit, ſiue alia ex cauſſa: nempè ſecundum craſſitudinem rotundæ ſunt, longitudine uerò palmares, & aliquando longiores, non abſimiles uermibus qui in fœtunticetis nascuntur: quos Græci γῆς σπέρμα appellant. His, ueluti inquit Plinius, nulli ſunt ocidi: ſicuti & nulli uermium generi. Aſcarides ſpecie lumbricorum continentur, uermibus ſimiles, qui in extremo longanone, & ani fibulæ initio reperiuntur: uehementè horum locorum prurítum excitantes. Similes in iumentis quum plurimum reperiuntur, malè cibum concoquentibus: canibus gallinaceis & id genus animantibus: de quibus poſtea. Sunt & Aſcarides beſtiolæ quædam, tipulas latini uocant, quæ in puteis ferè, & ubicunq; aqua ſe colligit terrena ſubſidente concretione oriuntur: fit ut principio fex ipſa putreſcens colorem candicantem trahat, mox nigricantem, poſtremò cruentum: talis quum fuerit, minutiſſima quædam & rubra ſpecie algulæ prodeunt: quæ ad tempus hærentia ſuæ origini mouentur, deinde abſoluuntur: itaq; feruntur per aquam tipulæ nuncupatæ: quarum meminit Ariſtoteles.

Lib. natu ralis hiſt. 2. cap. 36

Cap. 12.

Lib. de natura animaliũ. 5. cap. 19

An lum=

## An lumbrici toto sint genere præter naturam: & an morbus sint, an symptoma. Cap. IIII.

LVmbricos uerò aluum occupantes morbum esse nemini unquàm dubium fuit: quum enim affectus omnis, quicunq; is fuerit, præter naturã, actioni primò officiãs, morbus cẽseatur: lumbriciq;, ueluti postea demonstrabitur, eiusce generis fuerint: nil prohibet eos & morbum dici & esse debere. Quòd uerò toto sint genere præter naturam actiones primò oblædentes, uel eo potest intelligi: quòd scæuissimos plærunque casus inducunt, interitusq;: ueluti quotidie nobis licet intueri. Qui uerò morbus, & cuius particulæ corporis humani affectus existant, facillimè explicabitur: si altius paulò morborum genera, eorumq; differentias cõmuneis ac proprias repetentes in memoriam reuocabimus. Morbus igitur uel parti aduenit similari, uel instrumentariæ, uel utriusque communi. Quòd uerò nullius similaris partis lumbrici affectus existant, uel eo constat, quòd has particulas intemperie tantum aliqua uel simplici uel composita laborare quiuis nouit: sub cuius neutra huiuscemodi lumbrici coaptari possunt. non enim (de simplici loquor intemperie) calida uel frigida, humidáve aut sicca: non etiam, si de composita loquamur, aut cum materiei affluxu, uel absq; eodem, intemperies sunt uel calida simul atque humida, uel calida unà & sicca: uel frigida pariter & humida, aut demum frigida ac sicca. Nec minus utriusque communis simi

laris uidelicet atque instrumentariæ particulæ morbus dici possunt: ueluti unitatis dissolutio. quid enim quo ad seipsos considerati lumbrici soluunt? superest igitur ut instrumentariæ particulæ morbus censeantur. Quoniam uerò affectuum instrumentarijs particulis ob uenientium plures numerantur differentiæ: dum uni scilicet eidemq; particulæ instrumentariæ proprius adest affectus: ueluti est suffusio in oculo cum pterygio. uel eidē particulæ morbus contingens, ut ophthalmia: quæ oculi phlegmone per accidens existit: quum primò sit tunicæ oculi cohærentis inflammatio. uel eidem particulæ proprius simul ac contingens: ueluti luxatio cum phlegmone. ad has morborum differentias nemo (ni fallor) lumbricos referet. ad quas igitur reducemus? An ad simplices morborum differentias organicis particulis obuenientes referentur? Cæterum scrupus adhuc superest dissoluendus: quum enim & hæ plures numerentur, sub qua nam constituantur, perscrutandum. illud uerò facilius assequemur, si eas prius quot sint, referre tentabimus. Simplicium igitur morborum partium instrumentariarum differentiæ sunt forma corrupta, inepta magnitudo similarium partium, ex quibus instrumenta singula constituuntur: numerus ineptus, atque indecens partium constitutio. Harum differentiarum quæque in alias rursus magisq; proprias scinditur. ut enim à forma exordiar corrupta: hæc aut corrumpitur per figuræ uitium: ueluti in simis, uaris, uacijs, planeis: ut in fractura haùd probè curata: ut in luxatione, & id genus talibus. aut per amissionem mul-

titudinis magnitudinisve cauitatum, aut meatuum parti alicui debitorum: ut dum hi uel nimis patent, uel nimis coalescunt, uel obstruuntur ab humoribus multis crassis, lentis, alijsq; compluribus modis: aut & tertiò per partium asperitatem suapte natura lenium corrumpitur: aut econtrà per earum lenitatem, quæ suopte ingenio asperæ esse deberẽt. Magnitudo inepta dupliciter fieri solet, uel dum nimis quàm par est, augetur: aut dum minor, quàm conuenit efficitur. In decem partium constitutio tunc præcipuè fit, quum situs partium præter naturam existit: ueluti in Enterocœle & articulorum luxatione. fit etiam quando partium connexus est præter naturæ institutum: quum scilicet uicinæ partes, uel nimis laxæ, nimisve intentæ non probè inter se conueniunt. Numerus indecorus fit demùm, quandò partes similares aut abundant, minimeq; necessariæ sunt, aut deficiunt. si deficiunt, aut ex parte, aut ex toto: illud uidetur in partibus ex dimidio sectis, mutilatis non formatis. hoc uerò in eis conspicitur, quæ radicitus perierunt: ut ossa, digitus pes, uena uaricosa, & huiuscemodi reliqua. Si superfluæ & non necessariæ adsunt particulæ, uel accrescunt ijs, quæ naturali sunt habitu, ueluti sextus digitus in se digito: pterygiũ in oculo: polypus corpulẽtus in naribus: & similia. uel accrescunt præter naturã: ueluti lũbrici, ascarides, et interaneorũ cæteræ animãtes. calculus in uesica, ureteris reni. absessus ipsi, et in ipsis cõtẽta: ueluti pus et reliqua materierũ genera. hæc nãq; omnia instrumẽtarijs animãtiũ partibus addũtur, præter naturæ intẽtionem: suntq;

ueluti dictum fuit, toto genere præter naturam. Hic uerò non inepte quis aduersaretur obijciens. Si lumbrici toto quidem genere sunt præter naturam, cur in animantiũ corporibus illos natura produxit? semper enim suis uiribus utens, quicquid optimum fieri contigerit, natura molitur. An quòd lumbrici dum animalis occupant aluum, pro ut morbum in numero constituunt, (augent enim numerum partium corporis) toto quidem genere sunt præter naturam: quoad uero seipsos considerati ex intentione naturæ? siquidem animantia sunt uegetem sensilemq; uiuentia uitam, ut insectorum genus omne ex putri tamen orta
Cap. 5. materia: ueluti proprio loco dicetur. Si nanq; ex putri ea materia quid melius efficere natura potuisset, quum optima quæque semper intendat, sanè effecisset: ne tamen esset ociosa, quæ nunquam fuit, ea quæ potuit perfectiora produxit animantia. Atque ex hoc illud in primis de naturæ fructionibus patet: quòd ipsa ulla absque cognitione quicquid agit, operatur. etenim si cognouisset lumbricos in summum uitæ discrimen homines perducturos ab earum generatione utique abstinuisset, atque aliud quid non adeò animantibus infestum procreasset: ne tamen segnior haberetur, nihil præuidens eos produxit. Sunt igitur lũbrici (ut unde digressi sumus tandem redeamus) partium instrumẽtariarum corporis humani simplex morbus in numero auctо, toto quidem genere præter naturam: ueluti sunt lapillus in renibus, ureteris, uesica: ut grando ac suffusio in oculo: ut uitiligines, lepræ, calliacrochordones, melyceri-des, atheromata, steatomata, & id genus alia: quæ mor-

*bi sunt simplices quidem, si primò actionem lædant, si non primò, morborum causſæ.*

## *Quo nam pacto lumbricorum aluum occupantium fiat generatio.* Cap. V.

*Vmbrici alijs animantibus pro portione gigni uidentur, quæ non ex semine, sed ex putrescẽte materia ortum habent. Quoniam uero plures generationis modi huiuscemodi animantium esse conspiciuntur: alia enim ex cœno, aut fimo putrescente oriuntur: alia in lignis aut styrpium, aut cæsis: alia in animalium pilis: alia in excrementis aut iam excretis, aut adhuc intra animantem contentis. Lumbrici soli intrà animalis corpus producuntur ex materia excrementitia ac putrilagine, anguillarum more, ac uermium terrestrium, quæ & ipsa ex putrescente humo procreantur. Siquidem cibus plærunque corrumpitur in uentre potißimum inferiore pueris, è cuius corruptione lumbrici progignuntur. in materia enim huiuscemodi animantium gignẽdi facultas reperitur Auerrhoe teste. ueluti in cæteris perfectis animalibus, quæ fœcundo è semine procreantur. ea tamen inest differentia, quòd in ijs alterum ex altero non nascitur: & si in quibusdam ucluti in muribus ex putrilagine genitis nascitur quidem, id quod nascitur, nec mas est, nec fœmina: nec amplius alterum ex altero progigni potest. Aristotele authore, in illis autem adest generatio. Sola autem putredo hæc non est ad generandum sufficiens, sed & calore plurimo indi-*

12. meta. ph. t. c. 18.

Lib. 1. de gen. animalium. cap. 1.

get, qui materiam præparet, & ad generationem dispo-
nat. putridus nanque calor in materiam quæcunq; sit, agit
præparatam, & unà cùm cæleſti calore ueluti uniuerſali
agente uiuificat. quippè natura ubique animal gignit, mo
dò calor cùm humiditate ratione debita coeat. humiditas
enim ueluti materia ſubiacet calori ad excoctionem confi-
ciendam. Illud uerò inquiſitione dignum maximè uidetur,
an lumbricorum differentiæ omnes alios pariant: ueluti in
In initio. ſectorum genera complura. Siquidem Hippocrates quarto
de affectibus libro teretes tantum parere memoriæ prodi
Li. de na- dit: Ariſtoteles uerò latos tantum: omnes aſcaridibus gigne-
tura ani- di facultatem auferunt: Ariſtoteles apertè, Hippocrates
malium 5. uerò ueluti notiſſimum ſubticuit. ita enim græcè loquitur.
cap. 19. Καὶ αἱ μὲν στρογγύλαι πίπτουσιν, αἱ δὲ πλατεῖαι
οὐκ ἔπ. καίτοι φασὶ πίνειν αὐτὰς, ἀσπαίρει γὰρ ὁ
ἄνθρωπος ἔχων τὴν ἕλμινθα τὴν πλατεῖαν, οἷον
σκύον σπέρμα ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε σὺν τῇ κόπρῳ. καὶ
τοῦτο εἰσὶν οἱ φήσαντες τῶν ἀνθρώπων, τῆς ἕλμινθος
τέκνα εἶναι. ἐοὶ δὲ δοκέουσι λέγειν οὐκ ὀρθῶς. οἱ τὰ
τοιαῦτα λέγοντες. οὔτε γὰρ ἀφ' ἑνὸς ζώου γένοιτ' ἂν
τοσαῦτα νεόσια. οὔτ' ἐνειχωρεῖν ἐστὶν, ἐν τῷ ἑνὶ τέρῳ,
ὡς ἐκφέρειν τέκνα. poſtea ſubdit. σημεῖα δὲ ἐστὶν ὅτι
οὐ πίπτει, ἀλλ' ὄντως ἔχει ὡς ἐγὼ λέγω, ἐπήν τις ἰῆται
τὸν ἄνθρωπον τὴν ἕλμινθα, καὶ φαρμάκων δι-
δοῖ, ἢ πολὺν, ἵν' μὴ τύχῃ ὁ ἄνθρωπος κάλως πα-
ρεσκευασμένος ὑξέρχεται, ὅλη στρόγγυλη γενομένη
ὥσπερ σφαῖρα, καὶ ὑγιὴς γίνεται ὁ ἄνθρωπος. ἢν δὲ
ἐς τὴν φαρμακείην ἔρχηται, καὶ ἐνθεῖα ἀποῤῥήγ-

γνυται ἀπὸ τῆς ἕλμινθος, ὀκόσον δύο. ἢ τρεῖς πήχεις, ἢ καὶ πλεῖον πολλῶ. καὶ ἐπὴν ἀποῤῥαγῇ χρόνῳ πολλῶ, οὐ γίνεται σὺν τῷ ἀπὸ πάτῳ τὰ σημήια. ὕστερον δὲ αὔξεται. ταῦτα δὲ ἱστορίαι ἐστὶν ὅτι οὐ τίκτει ἕλμινς, ἀλλὰ πεῤῥήγνυται. Hæc Hippocrates. Aristoteles uerò huic maximè repugnat, his uerbis. ἔστι δὲ αὐτῶν γένη τρία. αἵ τε ὀνομαζόμεναι πλατεῖαι, καὶ στρογγύλαι, καὶ αἱ τριταὶ καλοῦνται ἀσκαρίδες. ἐκ μὲν οὖν τούτων ἕτερον οὐδὲν γίνεται. ἡ δὲ πλατεῖα προσπέφυκε μόνῳ τῷ ἑτέρῳ. καὶ ἀποτίκτει τὸ οἷον σικύου σπέρμα. ᾧ γινώσκουσι σημείῳ οἱ ἰατροὶ τοὺς ἔχοντας αὐτήν. Quæstio igitur non mediocris de lumbricorum partu suboritur: in qua dicam quod sentio: quum nullus præsertim fuerit, qui rem hanc aliquo pacto pertractarit. Duæ igitur, ni fallor, rationes pro Aristotelis delenda sententia ex Hippocratis uerbis colliguntur, unumq; indicium. quæ nihil prorsus ualere mihi semper uisæ sunt. quo factum est, ut dicere ausus fuerim libros de morbis Hippocrati falsò adscriptos, sed uel Polybi eius discipuli uel alterius cuiusuis fuisse. Quæ uerò ex tot uerbis rationes colliguntur, sunt hæ. prima quòd lata tænia sola tot non pareret: altera quòd non tàm magnus in intestino locus existit, ut in eo tot filios gignat & educet. indicium uerò nihil parere est, quòd id quod prodit, de ea rescinditur, non eius partus existit. Hæc uerò omnia facillimè diluen-

tur: ſi modum partus eorum, ideſt ſi quo modo partus diuidatur, probè acceperimus. conſtat uerò omnibus lumbricos ex materia quæcunque ea fuerit, intra inteſtina genita, ibidemq; loricæ modo eadem ambiente produci. hæc uerò uel in omnibus æqualiter genita lumbricorum generationi à calore diſponitur: uel in altera eorum parte. Si in altera, uel in ſuperioribus ijſq; gracilibus, uel in infimis, ijſq; craßioribus potiſſimumq; in recto nuncupato: ſi in tenuibus magis inteſtinis, teretum generationi: ſi in pleniorib⁹, potiſſimumq; in recto inteſtino, aſcaridum: ſi uerò omnia æquè inteſtina fuerit amplexata, latæ producendæ tæniæ idonea maximè fieri ſolet. His ita habentibus nõ mirum fuerit, ſi una tot procreet, quandò materia multo copioſior eſt pro cucumeris ſeminibus ſimilibus animantibus gignendis, quàm quæ in gracilibus pro teretum generatione reperitur. accedit eò, quòd quum teretes uno tantum
Cap. 8. corporis in loco naſcantur, (ueluti inferius demonſtrabitur) & in eodem copioſiſſimi progignantur, (ſexaginta enim ſuprà centum deiecti ſunt quandoque:) non mirum ſi lata tænia, quæ uniuerſum inteſtinorum orbem complectitur, plures pariat. non quòd uerè pariat, ſed quòd ex materia in morem lati lumbrici inteſtina introrſum ambiente cucumeris ſemini ſimiles animantes producantur, eo quo dictum eſt, modo. Latæ præterea tæniæ fætus parui quum ſint, (non enim cucumeris ſemen magnitudine excedunt) numero auctiores ſi fuerint, nemo demirabitur: quando & materia pro eorum generatione abundantior, ſi non magnitudinem, numerum quidem certè ipſorum adauget.

Locus ad hæc eadē ratione aptissimus uidetur, ut ea adeò parua animalia serie quadam iuncta contineat. gracilia etenim intestina, si teretum numerum copiosissimum, quòd minus credere par est, retinere creduntur: incredibile sanè dictu fuerit uniuersa intestina latam tæniam appellatā & in ea fœtus cucumeris semini persimiles inuicem iunctos gignere, continere, & educare non posse. Nec indiciū quod afferunt, latam tæniam nihil parere facit ad rem: quādo Aristoteles partum ipsius quod de ea rescinditur esse non dicit, sed cucumeris semini similes animantes. nullus. n. id ipsum dicere auderet: quum re uera nec partus dici possit, nec existat, sed tantummodo portio: qua de supra actū est. An uerò teretes, ueluti libro de affectibus authori placuit, utq; uulgi consensus existit, alios pariant, agè uideamus. neminem latere debet teretum lumbricorum plures tenui filo persimiles aluo quandoque fuisse depositos: nonnunquam & cum eis aliquos, puta quinque, uel sex, decem ve, ac plureis pleniores, atque ueluti utero gerentes: quos eorum tenuium matres uulgus appellat. difficile tamen dictu uidetur eos tenues illorum pleniorum partus existere: quū præsertim nullus unquā uiderit hos peperisse. deinde quia quinque sex ve pleniores aut decem tot nō gignerent, quos excerni a pueris quotidiè uidemus, nullo igitur pacto teretes mea quidem sententia pariunt. Quòd uerò quidam nonnunquam pleniores multiq; tenui filo persimiles egerātur. non ob id dici posse contendo: ut pleniores tenuiorum matres existant: uerum quòd multo ante tempore quàm tenues illi in intestinis producti adauctiq; fuerint: qui tenui-

bus commixti medicamento aliquo ijs educendis idoneo assumpto unà deijciuntur. Sexus præterea distinctio in his percipi non potest, quo minus pleniores illi utero gestare dicantur. qui enim mares, quæ ve fœminæ dicentur? Authorem igitur de morbis libri hac in re omittentes unà cum Aristotele dicimus, lumbricorum genus nullum præter latum, idq; nullo alio quàm eo quo dictum est, modo parere. Nec ob id licet de Hippocrate Polybove dubitare, qui primus talis conditor contemplationis non totam perfecerit. nemo enim sufficiat ad artem simul quampiam & constituendam & absoluendam. Sed satis uideri debet, si quæ multorum annorum spacio priores inuenerint, posteri accipientes, atque his addentes aliquid uel commutantes illam aliquando compleant, atque perficiant. Hæc igitur erant, quæ hac in re mihi ueniebant in mentem: quæ tamdiu seruanda censuerim, donec melius aliquid occurrat. nec pudet me fateri non omnia naturæ secreta potuisse comprehendere. quandò & doctissimi omnes hunc morem uetustiores ac iuniores seruasse compertum est. Quũ enim res naturales sub sensum cadant, fluxæq; atque mutabiles omninò sint: opinione potius comprehendi, quàm scientia possunt. hanc enim in rebus, quæ sensu percipiuntur, habere non possumus: sed decipi, falli, errare, ueluti, Parmenides inquit, necesse est. Hoc igitur pacto intra animantis corpus lumbrici nascuntur. minus profectò mirũ, quàm quòd in ijs quæ nullam putredinem posse recipere existimantur, nasci animalia nouerimus, ueluti è uetustiore niue uermes hirti pilis & rubidi nascuntur: quoniã &

ipſa nix uetuſtate rubeſcit. In Cypro inſula ærarijs fornacibus ubi chalcytes lapis ingeſtus pluribus diebus crematur: beſtiolas in medio igne naſci pẽnatas paulò muſcis grandibus maiores, quæ per ignem ſaliunt atque obambulant, Ariſtoteles & Plinius meminerunt.

Li. de natura animaliũ 5. cap. 19. & Lib. naturalis hyſt. 2. cap. 34 & 35.

## Quam ob cauſſam lumbricorum in corpore fiat generatio. Cap. VI.

MVlta & multigena propemodum animantium genera ſacra rerum omnium parẽs natura produxiſſe uidetur: perfecta inquam, & imperfecta, terreſtria aquatilia, & quæ immenſæ ſubtilitatis iurẽ inſecta appellantur ab inciſuris: nuſquam alibi ſpectatiorẽ naturæ rerũ artificio: ueluti culices muſcæ pulices & id genus talia. Quoniã uerò in cõtẽplatione naturæ nihil poteſt uideri ſupuacuũ: hæc omnia haud temere, ſed boni alicuius gratia producta fuiſſe exiſtimãdũ eſt. Quã uerò ex putri uiliſſimáq; materia nihil niſi uile rudeq; produci poſſit: ne fruſtra ociaretur, eadem in uniuerſi pfectionẽ natura rerũ abſoluit. Si quidẽ ſatius ipſi fuit inſecta procreare, quã materiam rudẽ illã ſua in putrilagine ſeruare. hæc uerò alimento quum ægeant ad uitam. quæcunque ipſis ea fuerit, tuendam: ex eadem qua producta fuere, materia uenſci aliq; exiſtimantur. quo fit ut non parum commodi genus humanũ inde recipiat: q, ab acre alioqui noxio futuram putrefactionem arripiẽtia inſecta conſumũt. unde & ipſi uniuerſo ex accidenti conferre creduntur. Huiuſce gẽ

neris & uentris animalia existunt, quæ eadem ratione humano corpori eandem utilitatem afferre existimantur: qua corpus à putrium humorum sordibus purũ nitidumq; seruatur: uel membra saltem in quibus ipsi gignuntur, à putri etiam uapore liberantur. & si ex ijs tædia labores, periculosaq; admodum symptomata eueniant. quorum infrà. Huic tamen sententiæ reclamat Auicennas, diuersam dicens usus esse proportionem, quam uniuersum ipsum ex plurium insectorum generatione suscipit, ab ea quam corpus humanum ex lumbricorum productione sortitur. intestinis nanque dicit naturam expultricem facultatem tribuisse, quæ superflua quæque ab eis educeret: qua tamen uniuersum carere certum est. addit præterea maiorem esse lumbricorum proportionem in uentre genitorum, quo ad intestinorum purgationem ea, quæ insectorum est ad uniuersi purgationem. Si quidem plures pro portione humano in corpore nasci testatur, quàm insectorũ sint genera, quæ ad uniuersi purgationem in eodem procreantur. Accedit etiam quòd lumbrici scæuissimos plerunque casus inducunt: quos tamen ab insectorum generibus ipsi uniuerso inferri non uidemus. Has Auicennæ rationes seruato aliorum firmiori iudicio, ut quæ probabiles tantum modo existunt, ita soluere connitemur. eandem dicentes esse omninò usus proportionem, eius inquam quæ lumbricorum est, ad corporis humani atque eius, quæ insectorũ est, ad uniuersi purgationem. nec quicquam facit, quòd intestina lumbricorum sedes expultrice facultate prædita sint: quando mucus ille pituitosus intra intestina genitus,

Cap. 12. 16 tertii tr. 5. ca. 2.

eadem loricæ modo ita operit, ut uis illa excretrix proprio fungi munere nequeat. quod prudens natura prospiciens, ne materiam illam ita putrem in uentre relinquat, ne ve frustra ocietur, quæ nunquam fuit ociosa, lumbricos ex ea producit: qui postmodum si quid reliquum est materiæ in cibum absumunt: qua demum consumpta, nisi cibus alter præstò sit, quo satiari ualeant, sursum potentia feruntur, atque per omnia intestina uentriculumq; uagantur: itaq; corporibus scæuissimos casus afferunt: quorum meminit Auicennas. nec maior esse potest pro portione lumbricorum multitudo quo ad intestinorum uacuationem, quàm sit ea, quæ insectorum est, ad uniuersi purgationem. licet enim materia ad eorum generationem sit plurima, pluresq; ex ea lumbrici producantur: non tamen maior est ea, quæ in uniuerso pro portione reperitur. Quemadmodum enim uniuersum infinities ferè maius est humano corpore: ita quæ in eo putrescit materia, pro insectorum generatione, infinities superat eam, quæ in corpore humano pro lumbricorum generatione consumitur: quod facillimè probatur. sola nanq; lumbricorum species in corpore producitur, atque ea finito quodam numero: at in uniuerso infinita propemodum insectorum genera reperiuntur: quorum quodque infinita producit indiuidua quæ ita rectè materiam uniuersi putrem, ac interaneorum animalia eas, quæ humano insunt corpori, consumunt. eodem propemodum pacto dicendum: insecta si uniuersi materiam eorum tum generationi, tum nutritioni idoneam absumpserint, eosdem uniuerso casus, quos humanis corporibus lumbri- 16. tertii tr. 5. c. 2.

tos inferre iam dictum est, inferiusq; dicetur. qui quum plures lateant, diligentius tamen perscrutantes animantiũ ac plantarum genus omne, quæ uniuersi partes existunt, ab aliqua huiuscemodi insectorum differẽtia collabi ac ruere uidemus. Vt enim inter multas à brassica exordiar, ex eius pueri materia erucæ progignuntur Aristotele autho re: qui ita inquit. Γίνονται δὲ αἱ μὲν κεκλούμεναι ψυχαὶ ἐκ τῶν κραμπῶν, αἱ δὲ γίνονται ἐκ φύλλων τῶν χλοιρῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῆς ῥαφανίνου, ὧν κακοῦσί τινες. κράμβην. quibus ex uerbis illud obiter notatu dignum excipitur, quòd brassicam raphani nomine nuncupat. hunc tamen locum Theodorus Gazes, uel quòd codex illi mendosus uidebatur, uel quòd breuitatis maximè studiosus erat, raphanum expunxit. ita interpretatus. Nascuntur papiliones ex crucis, erucæ ex uirentibus foliis, maximeq; ex brassica. Hæ igitur idoneo ipsis deficiente nutrimento, ipso brassicæ corpore uescuntur ad eius quandoque internicionem. ueluti rectè Theophrastus memoriæ prodidit. Singulis enim huiuscemodi animantibus ex ijsdẽ rebus generationem alimentumq; natura præscribit. idem in tritico euenire uidemus. uermes enim eius radice creantur, quum post sementem flatus austrini crebrò incesserint: tunc enim radice humescente & aere calido radicem caliditas putrefaciens animalia procreat. uermis inde enatus continuò radicem erodit. alterum genus uermis innascitur, quum humor effundi nequit conclusus siccitate aeris circumfusi. tunc enim calor confecta putredine animal contrahit; tunc pabulum ei quoque subministratur. sic &

Li. de natura animalium 5. c. 19.

Libr. de causis plantarũ 3. cap. 27.

uermes ciceri cicerculæ piſoq; innaſcuntur, & erucæ: cicerculis, quum priuſquam fuerint reſiccatæ, dies interim feruidi acceſſerint. ciceri uerò, quum ſalſugine abluta dulcedinem cæperit. quia tamen plantæ ſenſu careat: nec conuulſionem nec aliud poſſunt ſymptωma percipere. quorũ non exiguum numerum lumbricis infeſti, non ſine ſui grauiſſimo incommodo quotidie perpetiuntur. ſibi præterea ipſi aduerſatur Auicennas: primo ſi quidem capite lumbricos eiuſdem cum inſectis generis eſſe, ſcriptum reliquit, per hæc uerba. Et eſt cum hoc quòd ipſa ſaliunt ſuper putrefactiones ſeparatas in mundo, & cibantur eis, propter communitatem: & aſſumunt eas ab habitationibus hominum, & ab aere continente eas. & uermes quidem uentris ſunt huius generis, & quæ ſequuntur. ſequenti uerò capite oppoſitum omnino ſubſcribit, dum ait. Et non eſt eorum diſpoſitio in hoc, quòd per ipſos ſit iuuamentum, in mundificatione inteſtinorum, iuuamentum quod fit per uermes, & ſimilia eorum in mundificatione putrefactionis mundi, & reliqua. quem nonnulli à contradictione uẽ dicare dum conantur, eiuſdem inconſtantiam magis aperiunt. uſque adeò enim homini ſunt addicti, ut non ſolum nihil nouerint recti, ſed ne diſcere quidem dignantur. adeò indelebile uitium eſt inſcitia cum ambitione coniuncta. Id igitur opis quod Auicennæ aſſerunt iſti, hoc eſt quòd lumbrici, ſi pauci tum numero, tum quantitate procreantur, ſemper animantibus profuerunt: ſin plures ac magni, ſemper obfuerunt. quo dictu ridiculum planè uidetur. primum quòd hominis inconſtantiam

detegunt: uno enim in loco nullum corporibus usum afferre contendit: alibi uerò si pauci procreantur, semper animantibus profuisse scribit. deinde quia nulla uidetur esse ratio eorum. quum enim pauci procreantur, ex modica etiam materiæ quantitate eosdem produci necesse est: qua absumpta quùm in generationem, tum in cibum, eadem met symptomata animantibus inferre necessariò dicendum est: quæ ab ipsis quùm multis tum magnis in intestinis existentibus ipse fieri contendebat: licet fortasse non usque adeò magna ac scæua. Quòd uerò cuncta ferè animãtia interacciuum quid & aduersum habeant Aristoteles uberrimè docuit, infraq; ostendetur. Hactenus igitur hæc: generationisq; lumbricorum finis: materiam uerò generationis eorum iam prosequamur.

16. tertii tr. 1. c. 1.

## De materia generationis lumbricorum. Cap. VII.

Lumbricorum omnium origo ex cruda craßaq; materia ac pituitosa putredinisq; obnoxia fieri solet: qualis in pueris alijsq; uoracibus congeritur. omnes enim lumbrici generari ex multis ciborum differentijs consueuere. in qua re Auicennas sibi ipsi dissentire uidetur. siquidem primo capite pituitam inquit materiam esse generationis lumbricorum, quando ea scilicet incalescit in intestinis ac putrescit, ibidemq; consistit. Secundo uerò capite eosdem inquit fieri ex humiditate excrementitia à iocinoris tractrice facultate imbecilli in excrementis relicta:

16. tertii tr. 5.

relicta: ex cuius corruptione lumbrici oriuntur. cui sentẽtiæ adstipulari uidetur Aristoteles, qui libro de natura animalium quinto in hunc modũ scribit. Procreãtur porrò insecta aut ex animalibus eiusdem generis, ut phalangia. & paulò post. item alia ex cæno, alia ex fimo putrescente oriuntur: alia in lignis aut styrpium, aut cæsis: alia in animalium pilis: alia in excremẽtis aut iam excretis, aut adhuc intrà animantem contentis: ut quæ tæniæ, siue lumbrici appellantur. An q̃ cibus in uentriculo confertim, nulloq̃ ordine congestus temporis spacio ad intestina descendit: dum scilicet iecur ipsum per uenas quæ in mesentereo sunt, à uentriculo cibi iam ab ipso non probè confecti puriorem pro sanguinis generatione portionem attraxit: qui non cibus amplius χυλὸς ue, sed excrementum dicitur: id quod uentriculus ueluti onerosum quid ad intestina tenuiora reijcit. quamquàm ex eo, quod cum uentriculo habuit commertio, ipsum quoque consequutum sit saluta re aliquid, principium uidelicet coctionis: ut in humiditatem, ueluti inquit Auicennas, pituitosam excrementis commixtam conuertatur. Hoc igitur pacto Aristoteles ex excrementis, ex pituita uerò Auicennas fieri lumbricos memoriæ prodiderunt. Oribasius uerò omneis ex omnibus nasci inquit humoribus. ascarides etenim ex nigro, & bilioso teretes, latos ex pituitoso fieri succo contendit: ratus id fortasse quòd ascarides quum in recto crassoq̃ intestino oriantur, ex melancholico, qui illic maximè redundat, succo progignuntur. uenæ siquidem hæmorrhoides nũcupatæ illic terminantur, crassum maximè ac fœculentum

Cap. 19.

Lib. 3. aphoris. apho. 30

ſanguinem continetur. teretes uerò ex flaua oriri bile ideò dixiſſe poſſumus ſuſpicari, quia in gracilibus potiſsimum inteſtinis ſedem hi habent ac ortum: ad quæ præcipueq; ad ieiunum uocatum multa bilis copia à poro felleo nuncupato transfunditur. Latos uerò quos ipſe longos rectè nuncupat, à pituita fieri contendit. Verum Paulus, alijq; & ratio ipſi aduerſantur. ex calida enim acriq; materia, uel frigida ac ſicca, qualis eſt flauæ atræq; bilium materia, ut pote alimenti naturam egreſſa lumbricis procreandis inepta uidetur. accedit eo, quod bilioſa recrementa amara exactè quum ſint, minime putreſcunt, minimeq; lumbricos producunt. maximè nanque in humidis naſci corporibus uermes, ac putrilaginem uidemus. quæ enim exactè ſunt amara, qualis eſt pallida bilis, omnibus propè animantibus, ne dum hominibus ſunt eſui inepta. quippè animal omne plus minusq; humidum quum ſit, amara autem ſicca: non aliter quàm cinis & puluis. neque igitur cinerem, neque puluerem, neque calcem animal ullum eſitat; neque eorum, quæ planè amara ſunt quicquam: adeò eſt omnibus tum hominibus tum plantis inimicum quòd exactè amarum eſt. Hinc ergo factum eſt, ut nonnulli eos commentarios Oribaſio falsò adſcriptos fuiſſe contenderint. qui uerò cumque is fuerit, hac in re ipſum reſpuentes, lumbricorum materiam eſſe dicemus pituitam craſſam dulcemq; à ſatietate & crapula, atque inſatiabili infantium auiditate in inteſtinis, eo quo dictum eſt, modo productam. Cibos quoque qui facilè intus uitiantur, craſſæ ac fri-

Li.4.c.57

gidæ materiæ, & qui ſeræ concoctionis exiſtunt, cruditatesq; atque triticea farinaceaq; pulmenta : longa præterea ocia & ſomnos longiores lumbricorum gignendorum materiam eſſe nemo non ſcit. Lactis quoque uſum uel caſei, piſciumq;, aut leguminum eoſdem progignere conſtat. Balnea item, ac ueneris frequens uſus à cibo præſertim eos producant. augent uitium omnia humida, & quæ facilè intus uitiantur : qualia ſunt holeracea omnia fugacesq; fructus. An uerò dulcia, ueluti omnium conſenſus exiſtit, lumbricos producant, perſcrutandum. illud uerò in confeſſo fuerit, ſi prius ſciuerimus, an ijdem in homine ſemper procreentur & adſint. Auicennas enim ſemper in homine reperiri teſtatur: quod uix credi poteſt. ut enim ex tot corporum diſſectionibus, quas hucuſque uidi, quæ plures ſanè fuerunt, animaduerti: nunquàm niſi ſemel lumbricos intestinis ineſſe conſpexi. 16 tertii tr.1.ca.1.

Latus etiam, ueluti ſupra fuit commonſtratum, in quinquagenario adhuc uiuente uiſus fuit : ita permirum uidetur. omneis omnium ætatum homines hac lue infeſtari. ob id igitur Auicennam ità interprætari ſolitus eram, dum ait. Quòd ſenes etiàm lumbricis, licet rarius, infeſtantur : quòd ſcilicet non in cunctis eius ætatis hominibus lumbrici producuntur : uerùm in ijs ſolum, qui incontinentes uoraceſq; ſunt. neque in his omnia lumbricorum genera, ſed unum tantummodo reperiatur. Eodem etiàm pacto de alijs dicendum uidetur ætatibus non enim ſemper in omni uel infantia, uel pueritia, adoleſcētiáve ſub oriuntur: uerū quædam eorum ſpecies in infantia, in pue- Cap.3. 16.tertii tr.5.c.2.

rili quædam ætate, nonnulli in adoleſcentia, in utraq; alij ætate: omnes demum in omnibus ætatibus: non tamen ſemper producuntur. quomodo igitur cumque fuerit, ſiue ſemper in omni ætate omnibusq; uiuentibus adſint, ſiue non adſint; dici poſſe uidetur, dulcia, qua dulcia ſunt, lumbricos non procreare: id ratio ſuadet. quum enim dulcia eo cõ ſtent temperamento, ut facilè in quouis corpore in bilem uertatur: quum enim à calore temperato dulcis fiat ſapor, eoq; uel inſito, uel adſcititio: proprio quidem, ueluti mel: adſcititio uerò: ueluti ſunt omnia, quæ ab igne præparantur ac proinde dum calida ſunt, ijs ſuauiora, quibus nutritione opus eſt, apparent: ſi dulce quicquid ſit uenter commutare & concoquere debet, ſui calore id ipſum alterare neceſſe eſt: quod tunc ulteriori decoctione ſaporem adipiſcitur amarum. hic uerò bilis ruffæ ſimilis quum ſit, facillimẽ in eandem commutatur. quum igitur ex bile nullum nec intus nec extrà corpus procreari animal poßit. relinquitur ex dulcibus rebus lumbricos procreari non poſſe. An uerò dulcia eoſdem in corpore iam productos commouere, ſurſumq; ad uentriculum ducere ualeant, id nunquam alicui dubium fortaſſe fuit. Ideoq; non iniuria mulieres natis puerulis dulcia prohibent: ueritas ne ſcilicet lumbrici, quibus puerilis plurimum ætas abundat, ab huiuſcemodi dulcibus excitentur, ſcæuaq; ipſis de more ſymptωmata inducant. Dulcia igitur lumbricos non procreare manifeſtum eſt: eos tantummodo ſi affuerint, excitare liquido patet.

## In quo nam animantium corporis loco lumbrici procreantur. Cap. VIII.

LOcum uero generationis lumbricorum explicare fuerit operæpreciũ à rotundis exorsi, quòd ſpeciem habent omnibus perſpicuam: quia ſanè alijs frequentiores ſunt. hi uerò in gracilibus magis inteſtinis conſiſtunt, & ſuperiorem ſubeunt uentrem: ideoq; frequentes per os reijciuntur: quibuſdam è naribus redduntur: ueluti Paulus ſcribit. Sunt qui eoſdem in uentriculo procreari contendunt ex Galeni ſententia: ac perperam meherclè. ſiquidem tertio aphoriſmorum hæc ſcribit Galenus. Cibus autem plerunque corrumpitur in uẽtre, & præcipuè inferiore puerulis. & reliqua. ſed non aduertunt, quicunque illud aſſerunt, quòd Galenus ſeipſum exponit, dum ait. & præcipuè inferiore, ſcilicet uentre. ex qua poſtmodum corruptione lumbrici oriuntur. non enim uult Galenus lumbricos in uentriculo produci, quia in eadem cibus corrumpatur: uerum inquit quum duplici in loco cibus corrumpitur, qui in inferiore potiſſimum uentre putreſcit, idonea eſt, pro lumbricorum generatione materia. nullibi nanque dixit Galenus lumbricos in uentriculo fieri. Huic ſententiæ Ariſtoteles ſuffragatur, qui quarto τῶν μετεωρολογικῶν libro ad hunc modum ſcriptum reliquit. καὶ ζῶον ἐνιὰ ἐγγίνεται ἐν τῇ πέψει, ὥσπερ τινές φασιν, ἀλλ' ἐν τῇ ἀποκρίσει σκωλήκιον ἐν τῇ κάτω κοιλίᾳ, ἐπανέρχεται ἄνω. πέπεται μὲν γὰρ ἐν τῇ ἄνω κοιλίᾳ, σήπεται δὲ ἐν τῇ τὸ ἄπω

Lib. 4. ca. 57.

Aph. 26.

T. C. 28.

πεῖδεν. Præterea hoc ipso in loco referens lumbricorum
ſpecies, nullam Galenus in uentriculo naſci ſcribit. non
enim aſcarides, quæ in recto intestino naſcuntur: non
teretes, quos in tenuibus intestinis produci unà omnes con
uenere. Latos uerò quo modo quis dixerit in uentriculo
naſci? quando omnes in primis q; Hippocrates per tota ex
Lib. de morbis. 4 tendi intestina, miræq; longitudinis eſſe teſtantur? Ac=
cedit etiàm quòd locorum affectorum libro primo Gale=
Cap. 5. nus unà cum Aristotele memoriæ prodidit omnes in inte=
ſtinis produci: cui, ſi aliter in hac re ſenſiſſet Galenus, in
aliquo librorum ſuorum repugnaſſet, atque hominem no=
minaſſet: ueluti in alijs multis, in quibus ipſum aliquando
oppugnat, Aristotelem nominare ſolet. Atque ut Ari=
ſtotelem mittamus, cui ea fides eſt adhibenda, quam uel
Hippocrati adhibendam eſſe ſæpe clamat Galenus. (ip=
Lib. me= ſum enim Hippocratis interpretem ſæpißimè nuncupat.)
thodi quum ſententia iſthæc ante Aristotelis tempora prædica
med. 2. et retur, quod Aristoteles ipſe per ea uerba declarat. Et ani
alibi. mal non fit in ipſa concoctione, ueluti quidam dicunt. ceu
antiqua ac ſcitu digna à Galeno tractari debuiſſet: uerum
quando erronea eſt, & ab Ariſtotele diu confutata ſenten
tia, ipſam non ſolum omiſit, ſed ne ipſius quidem commemi=
nit. Indignum præterea uidetur, ex uno tantummodo gra
uiſſimi authoris uerbo, eoq; perperam intellecto, eundem
Loco ci= ſibi aduerſari dicere: quando quidem Galenus tot locis op=
tato. c. 2. poſitum ſentit. Auicennas ad hæc lumbricos inquit ex hu=
Lib. de natura miditate fieri ſtercori commixta malè attractrice iocinoris
animaliũ facultate attracta. hoc idem confirmat Ariſtoteles: quòd ſci
5. ca. 19.

licet oriuntur ex excrementis intra animantem contentis. Si ex humiditate igitur stercori commixta lumbrici nascũtur: quum stercus in tenuibus potissimum creetur intestinis: non in uentriculo, uerum in uentre inferiore sedem generationis habebunt. Quòd uerò Aristoteles per excrementa intra animantem contenta, eadem in intestinis, nõ in uẽtriculo cõtẽta intelligat: facile ex ijs colligitur, quæ statim ab ipso subnectũtur. quædã ex excremẽtis extra animãtẽ cõtẽtis fiunt. Siquidẽ quotidie uidemus in excremẽti bouilli equini ve humiditate quædã nasci animantia cortice quodã nigro cõtecta, quo sub alæ insunt, quibus cũ uolitãt: quæ ex eo quod reliquum est humiditatis excrementitiæ uescuntur. ucluti quotidie æstate in uiis cuique licet intueri. quos Aristoteles Scarabæos pilularios uocat. Nec mihi probantur, quæ Petrus ἄπονος, uel potius ἐπίπονος, in quem illud Heracliti iurè dici potest: πολυμαθείη νόον ἔχειν: ut Galenum Aristoteli conciliaret, scripta reliquit. Galenum uidelicet in uentriculo eos produci posse dixisse eius tantum, qui plurimum lapsus esset, actuq; iam ægrotaret: illudq; ad ea referri scribit, quæ ex accidenti raroq; contingunt. quod tamen ita falsum est, ut mirari subeat hominem quomodo hæc scripserit: quum ne uerbum quidem Galenus dixerit, per quod uir iste concilium hoc diuinare potuerit. respuit enim Galenus defensionem eorum, quæ ab ipso non modo malè dicta non sunt, sed ne dicta quidem. Sed quis præterea unquam uidit lũbricorũ in uentriculo generationem? quum omnes, quicunque rem hãc scriptis mandarunt, sursum ad uentriculum ab inferiori-

Li. de natura animalium. 5. ca. 19.

uentre potentia ferri contendant. potuit enim sentiri lumbricus in uentriculo, potuit et uideri per os reiectus: quod tamen ibi ortum traxerit, quis unquàm testabitur? neque hoc negat Aristoteles Galenus ve, aut alius spectatæ uir authoritatis. Quòd uerò concilium τῷ ἀπόνου nihil plane ualeat, ita clarum est, quàm quod clarissimum. non enim uideo quo modo in homine plurimum lapso, (ut hominis uerba referam) horum generatio in uẽtriculo, quin potius in intestinis fieri ualeat: in quorum tenuibus teretes, in recto ascarides, in omnibus latos fieri lumbricos omnes unà conuenere. forma etenim aliqua, quæcunque ea fuerit, nõ nisi ex materia optimè dispositа ab agente naturali ualet educi. Sed per deos immortales, quæ nam uideri potest in uentriculo plurimum lapsi corporis dispositio? quum nunquam adeò putrescere possit, ac si putrescat, nunquàm ibi tantum persistere ualeat, ut ex ea lumbrici producantur. pluribus enim motibus uentriculus mouetur: ueluti inferius ostendetur. Absurdum præterea dictu est, in uentriculo causarij corporis lumbricos fieri: quum ab ijs etiam, qui secundum naturam se habent, uermes quotidie uomitu reijci uideãtur. complureis enim sæpe uidimus pueros puellas ve, aut etiam iuuenes, quod minus credere par est, ac senes lumbricos ore euomuisse: quos tamen in uentriculo productos fuisse. neque ipse Aponus fatebitur, nec dici ullo pacto poterit. ueluti statim demonstrabitur. accedit eò quòd si lumbrici ortum à uentriculo ducerent, quum etiã in ualentibus uentriculis ualetudinarijsq; pituita producatur, in utrisque etiam lumbricos fieri necesse esset: quum in

*sanis etiam corporibus lumbricos uomitu sursum erumpere uideamus. Rationes uerò pro hac adstruenda sententia quantum ualeant, iàm uideamus. inquit Conciliator differẽtia prima supra centesimam. Bilem, quæ magis est præter naturam quàm lumbricorum generatio, in uentriculo fieri constat: multo igitur magis lumbrici in eo nascentur. in hac sua ratione duplex erratum cognoscitur: primum, q̃ bilem dicit absolutè in uentriculo fieri: quòd inepte dictum esse demonstratur. quando bilis simpliciter pronunciata flaua, non nigra, non porracea æruginosáve intelligitur. uel ergo flauæ uel uitellinæ uocatæ, uel porraceæ, aut æruginosæ bilium generationem audit. Si flauæ, errat: quum iecore ac uenis, non in uentriculo ipsa producatur: meatu bilem ipsam ex iecore ad intestinum illud, quod græce χο-λὸς ἔκφυσιν uocant, deferente: à quo ad uentriculum nõ nunquam fluere potest: ueluti in bilios is uomitibus licet intueri. Si uitellinæ, nec ob id etiam rectè intelligit: quum eadem ratio huius ac illius sit. non enim aliud quicquam bilis uitellina est, quàm ipsa met flaua præter naturam se habẽs quæ ad ultimum excocta, flauá ignea & crassa uitellis ouorum persimilis redditur. Siquidem ista perinde ac flaua in uenis progignitur. si porraceæ æruginosáve generationem intelligit, ei in hoc tantum assentimur, quòd scilicet utriusque generatio præter naturam in uẽtriculo fiat propter quorundam cruditatem esculentorum, aut olerum, qualis beta, cœpa, braßica sunt: atque interdum talibus nequaquàm ingestis, ratione ægrotationis in uenis porracea præsertim producitur, ac decumbit in uẽtrem aut inferio-*

rem aut ſuperiorem, calorem in corpore præter naturam indicans, atque excrementi proprietatem, talis temperamẽto, qualis prædictorum olerum ſuccus eſt. Verum nec illud ad rem (quod ſecundum erratum eſt) non enim recte dicitur porraceam bilem magis præter naturam in uentriculo quàm lumbricos fieri: quum idem ſit eiuſdem generationis modus, ac pituitæ, & chyli nuncupati. differunt tantum in materia generationis: quòd porraceæ materia inutilis quum ſit corpori nutriendo, præter naturæ intentionem fieri exiſtimatur: quum tota circa humorum generationem naturæ ſit intentio ad corpus tum alendum tum augendum. Lumbricorum uerò generatio in uentriculo toto quidem genere præter naturam eſt. non enim uel ad nutritionem uel auctionem corporis quicquàm facit, quin imò eius potius abolitionem, rem maximè naturæ contrariam, quæ animantis tutelæ totis incumbit uiribus, minatur. Quòd uerò ſcribit de abſceſſuum uentriculi ortu, quod magis ſit præter naturam, quàm lumbricorum in eodem generatio: ita diſſimile exemplum uidetur, ut mirari ſubeat hominem, qui omnia uel tantum apparentia in unum congeſſerit. non enim quia abſceſſus in uentriculo fiant præter naturam, in eodem lumbricos produci poſſe aſſerendum eſt: quoniam eorum qua ſunt animantia, generatio eſt à natura: abſceſſuum omnino præter naturam. Lumbricorum præterea talem materia putredinem ſortiatur oportet, qualis eorum productioni idonea cenſetur, non qualis ea eſt, ex qua febres abſceſſuſq; fieri aſſolent.

quo nanque ineptior existit, eo abscessuum generationi fit aptior: quando abscessus ipsi sunt omnino præter naturam. hæc uerò materia nullo pacto ob causas statim dicendas eorum in uentriculo productioni potest disponi. Nihil etiam ualet, quòd secundo loco idem scribit: eodem scilicet pacto quo uenter inferior, ita & superiorem ad lumbricorum generationem posse disponi: quando quidem cibi concoctio eorum generationem prohibet: quam tum ex ingenti uentriculi insito calore, tum uiscerum sibi adiacentium fieri constat. eodem propemodum pacto, ac si magno lebeti plures ignis foci pariter æstimentur: à dextris quidem iecur, à sinistris lien, superne cor, & septum transuersum & eleuatum, & assiduæ motum. his etiàm amplius omentum, quòd prædicta tegit, uentriculi calorem auget. usque adeò enim calor est ingens, ut dura quæque ac coctu difficilia transmutet, & concoquat. motus insuper uentriculi frequens scilicet cibi ac potus nunc ingredientis, nunc egredientis per exitum fundi uentris obstat, quominus eosdem in uentriculo fieri putemus. Rationes ad hæc, quibus ad refellendam Aristotelis sententiam, quæ & Galeni est, utitur Conciliator: ut quæ ueritati repugnent, iisdem telis confodiuntur. quod enim primo ex Theodori Prisciani uerbis adducit, nostram non subuertit sententiam. ait enim, Ex corruptis humoribus in stomaco & incompetentibus cibis sæpe præsumptis, aut ægritudine lumbrici nascuntur: qui aliquando eũdem stomachum, ali quando inferiora possident. & reliqua. Etenim si lũbricos

in uentriculo fieri dicit: iam explosa sententia est: & ob id hominem non recipimus: ut qui ueteribus ac ueritati repugnet. Si uerò eosdem non in uentriculo fieri dicat, uerũ ex materia, quæ iam in uentriculo putrescere cœperat: ac in uentre postmodum concreta ac intestinis fuerat: homini assentimus. fieri siquidem potest ut ijdem in uentre geniti aliquando uentriculum, inferiora quandoque possidcant: non quòd in uentriculo fuerint orti, uerùm sursum potentia delati: ueluti Paulus & alij memoriæ prodiderunt.

Li.4.c.57 Quòd uerò ex pituita putrescente ijdem fiant, quæ plurimum in uentriculo gignitur, nullus est qui neget: non tamen ex ea eodem in loco manente pituita producentur: ut quæ non habeat calorem pro portione respondentem. iam enim diximus uentriculi calorem ingentem esse. Locum præterea generationi accommodum non esse dictum iã est. nec illud ex quarto de naturalibus principijs quicquam facit. quòd idem sit locus conseruationis, qui fuerit & generationis: si quidem non in omnibus uera propositio est: quando multa apud nos adseruari uidemus, quæ nasci hic nullus unquam uidit. Intestina præterea, in quibus re uera procreantur, sunt locus generationis & conseruationis eorundem. plures enim in intestinis seruari, quàm in uentriculo cuique liquido patet. imò nisi ad uẽtriculum sursum prolapsi uomitu statim, uel arte quapiam reijciantur, scæuissimos casus inferunt. quod Conciliator met testatur: qui eosdem inquit, uentriculum aliquando perforasse. hoc experimento probare persuasus eosdem in uentriculo fuisse productos: quod suam destruit sententiam. accedit eo q̃

illo perperam exemplo utitur. non enim aliquando uentriculum lumbricos perforasse scribit Auicennas, sed uentrẽ scilicet inferiorem. Sed clarius Paulus, qui quidam inquit produnt se lumbricos uidisse, qui ex inguinibus ægri eruperint. Quod uero cochleæ ranæq; uentriculum aliquando ingressæ diutius uiuant, casu id factum esse nemo non nouit. quando ibi ortæ non sunt, neque diutius ibidem consistere possunt, præterquàm quòd animanti scæuissimos casus inferant. Item si bilis ad intestina profluit, quo argumento conciliator concludit lumbricos in ipsis produci non posse, quòd bilis amarissima quum sit, non est ad eos producendos idonea: eodem pacto dici posse confido: quando eadem bilis uentriculum à fellis uesicula subit: atque in eodem potissimum porracea atque æruginosa progignitur: nullo pacto lumbricos in uentriculo nasci posse. quod Paulus etiam confirmat, qui si quando inquit flaua bilis unà cũ lumbricis infra aut etiam uomita eruperit, ipsos quidem certè intestina obsidere: humorem autem bilioſum uentriculi os, aut aliam quampiam particulam obsidere scito. Quòd si & in alijs uisceribus uermes enascuntur, non tamen necesse, imò nec ueri simile est ob causſas suprà commoratas, ut lumbrici in uentriculo producantur. Quod uero Antonius Benuenius refert, Aponi sententiam non fouet. is enim medicum quendam inquit, Iulianum nomine, dum grauissimè ægrotaret, & aduenienti medico dolorem quo circa uentriculum miserè cruciabatur, exponeret: tangente illo ut fit, ac manibus locum pertractante, in uomitum erupisse: quo frustum carnis ad paruæ pilæ magnitu-

16. tertii tr. 5. c. 2. Li. 4. c. 57

Lib. 4. cap. 57.

Lib. de mirandis morborũ causſis. cap. 58.

dinem, in quo uermis, non secus ac brucus in siliqua recludebatur eiecisse. multa enim obstant, quominus uentriculum lumbricorum generationis sedem esse dicamus. primum quòd non uermem, sed frustum ueluti carnis euomuit: in quo uermis recludebatur, deinde quia uermis ille ad nullam iam dictarum lumbricorum speciem reduci poterat. non enim latos, non teretes, non ascarides, sed bruci faciem imitabatur. potuit enim in globo illo pituitæ carnis frustum imitato, qui uentriculi calore extrinsecus fuerat exiccatus, tantus humor concludi, ut uermem illum non aliter quàm reliqui uermes ex putrefactis carnibus solent enasci, ludens natura fabrefecerit. ubique nimirum animal natura producit, modo calor humiditati proportione respondeat. Sunt qui ita contentiosi atque impudentes existunt, ut nulla freti ratione peruicaciter lumbricos in uentriculo fieri tueantur: eosq; ab ijs, qui intestina inuadunt, colore, forma, & quantitate differre scribant: quorũ profecto impudẽtiã pudet me refellere. colore inquiũt, superioris uẽtris lumbrici ab ijs qui intestina occupãt, differre uisuntur: quod albidiores candicantesq; magis appareant: hæc freti ratione, quod pituitæ sedes ab illustribus uiris uentriculo adscribitur: hæc uero albicans quum sit, lumbricorumq; censeatur: qui in eo fiunt lumbrici candidi ut sint, necesse est. ac si qui in intestinis procreantur, non ex pituita sed alio quouis potius humore producerentur. Forma uero cucurbitinis adsimileis esse, cucurbitinosq; uerius uocari contendunt, à loco in quo procreantur, formam desumentes; idest à uentriculo, quem cucurbitæ similem esse faten-

Michaelis Sauonarolæ sententia in cõmẽ. de lũbricis curandis.

*tur. qua in re sibi manifesto repugnant: quum alibi cucurbitinos in intestinis fieri contenderint. id quod superius im probauimus. Quantitate dicunt hosce cucurbitinis maiores, longis minores ac paruis esse maiores. Sed quis unquã eorum, qui in uentriculo fiunt, hanc in quantitate differentiam aduertit? quum re ipsa nonnisi in intestinis produci demonstratum iam fuerit? Verum hactenus hæc: quando plus æquo fortasse quàm necessitas postularet, sermo productus est. Quas uero latas tænias nuncupamus, in intestinis Paulus procreari contendit: in quibus uerò non itẽ. Aetius in tenuibus fieri scribit: quod declarant stomachi morsus continui, & ad cibos incorrigibilis appetitus: quæ symptωmata non ob aliud stomacho ab ipsis inferri, existimandum est: nisi quòd intestina tenuia, in quibus procreari dicuntur, uentriculi uicina existunt. Siquidem ita habet intestinorum ordo. ut priore post gulam loco uentriculi osculum, uentriculum ipsum & ianitorem, ponatur quædam duodecim digitorum appendix, quam Herophilus δωδεκαδάκτυλον nominauit. Secundo ab hoc loco ieiunũ, quia semper inane sit: postea tenue intestinũ: cæcũ quarto loco, q̃ sequitur colum, cui demum adnectitur rectum. horũ uerò priora tria tenuia, reliqua posteriora: crassa & pleniora nuncupantur. Accedit etiàm q̃ Aetius libro tertio lumbricos inquit teretes & latos ea pellere, quæ gracile intestinum purgare alibi scripsit, per quæ uerba colligitur inter alias lumbricorum differentias latos etiam in gracilibus intestinis progigni: quæ postmodum per tota extẽdũtur intestina: ueluti iam dictum fuit. Auicennas etiam*

Cap. 3. in fine.

Li. 4. c. 57

Li. 3. c. 40

Cap. 165.

Ibidem cap. 154. 166. tertii tr. 1. c. 1. & tr. 5. c. 2

in tenuibus eoſdem inteſtinis produci, proprié tamen in colo ac cæco ſedem generationis obtinere ſcripſit: qui deinde per tota extenduntur inteſtina, atque unum mentiuntur animal. Quicquid uerò ſit, conſtat omnibus lumbricorum generibus inteſtina ſedem generationis ac domicilium eſſe, non uentriculum: ueluti falſo Aponus ille tot uerbis aſſerere contendit. Aſcarides uerò in parte maximè craſſioris inteſtini inferiore gignuntur. id eſt in extremo longanone & ani fibulæ initio: græci ſphincterem à conſtringendo dicunt: ſtringit enim clauditq; recti extremum, ut ne inuitis nobis ſtercus aut flatum aut quippiã aliud egredi permittat. Sunt qui pueros lumbricis uexatos ob id inceſſanter tuſsire contendunt, quòd in ſpiritus tramite id eſt aſpera arteria ea animantia progenita contineantur. ex quorum motu tuſsis excitatur. argumento quòd lapilli in eiſdem animæ canalibus ex uiſcoſa materia producantur: qui aſperrima tuſsis uexatione eiecti ſunt quandoque. magis id mirum, quàm quòd lapilli in pulmone procreentur. id tamen fieri nulla ratione conuincitur: ob thoracis motũ ac pulmonis continuum, & ignea uicini cordis caliditate. experimento huic etiam ſententiæ contrario exiſtente. ſi nanque tuſsis lumbricorum uitio in pulmone exiſtentium excitatur, quum omnes qui huiuſcemodi lue infeſtantur, tuſsim planè patiantur: omnes etiam eoſdem in aſpera arteria pulmoneq; continerent: quo tamen abſurdius nihil dici excogitari ve poteſt. Alij præterea in anguſtis narium meatibus uermes procreari contendunt: experimento, q. frequentes per nares reiectantur. quod tamen perridiculũ dictu

Alſahara uius cap. de tuſsi. & Auenzoar 1. theiſin. tr. 2. cap. 3.

Auicennas 1. tertii tr. 2. cap. 3.

dictu maximè existit: quum locus ineptus eorum generationi, ob continuam aeris inspirationem eiusdemq; expirationem. Siquidem ab inferiore uentre ad uentriculum, à uentriculo ad os, ab ore ad nares usque delati uermes per eosdem reijciantur. sunt qui in renibus ea animalia interdum enasci testantur. in auribus item, dentibusq;, atque ascaridibus persimilia. in iocinoris ouilli capilliq; uenis sæpe mihi uisa sunt animantia quædam cucumeris seminibus haud omnino dissimilia. In India regionibusq; supra Ægyptum animantes quædam uiuæ lumbricorum formam præferentes Dracontia uulgò nuncupatæ, in musculosis corporis partibus puta brachijs cruribus suris consistunt. In pueris etiàm in lateribus sub cute coeunt aperteq; mouentur: deinde ubi perennarint diutius in extrema aliqua dracontij ora locus suppuratur, & aperta cutè foras progreditur dracontij caput. Quanquàm soranus concedit quidem id, sed animalia tamen esse pernegat. Hæc uerò rarissimè uisuntur, nec unquàm à Galeno uisa cognita ve: unde fit, ut neque de ortu, neque de essentia ipsorum quicquàm exactè conijci ualeat. Nascuntur quoque in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus: ueluti scribit Plinius, cui resistitur uiuæ taminiæ succo, aut ueratri cùm oleo peruncti corporibus. Item sub cute, ut in phthiriasi quo Scylla dictator, Alchman poeta, phærecidesq; Syrus consumpti interiere. in capite uerò sub cute pediculus innascitur, infantiæ peculiare tædium. Ad nostra quoque tempora quoddam supplicij genus indomita fæditate peruenit: in manibus exilis quidam pedicillus lende minor sub cute serpit non ad-

Gentilis fulgina in tertii primã tr. 2. cap. 3. Paulus li. 4. c. 59

Lib. nat. hist. 26. cap. 13.

modum frequens. Verum haud interest hæc in præsentia disputare: ad reliqua igitur transeamus.

## Quæ lumbricis ætates obnoxiæ, & quæ quibus magis minusve infestentur. Cap. IX.

3. Aph. 26. QVibus autem ætatibus huiuscemodi proueniãt lumbrici, in ea potissimum Hippocrate oriuntur authore: quæ media est inter illam, in qua pueri dentire incipiunt: atque eam, in qua ij degunt, qui pubertati proximè accedunt. in hac uerò non omnes omnium differentias nasci testatur Hippocrates: sed teretes tantum, atque ascarides. quem sequutus Auicennas rarò latos in puerili uentre fieri scribit quamquàm Caluus ille Hippocratis interpres sextum ac uicesimum libri tertij aphorismum interpretatus, latos etiam falso addiderit. cuius erratum ex Galeni maximè uerbis deprehenditur: qui horum ait, nullam Hippocratem fecisse mentionem: quando neque eius erat propositum de omnibus agere passionibus, quæ mortalibus obueniunt: sed de illis tantum, quæ in singulis ætatibus fiunt. Cur uerò hac potissimum ætate producantur, id causæ existit, quòd in ea pueris constitutis ob lactis ciborumq; inexplebilem quandam appetentiam magna inconfecti crudiq; succi copia superat. accedit etiam, quòd eorum uentris munus duobus unà sufficere non potest, augendo simul atque alendo. (ea enim propria incrementi ætas existit.) licet quan-

3. primi doc. 2. cap. 3.

doque intra matris uterum fœtu adhuc existente ijdem fieri ualeant Hippocrate authore: qui quarto de affectibus libro hæc scripta reliquit. Γίνονται δὲ καὶ σφογγύλαι ἕλμινθες αὐτῷ τρόπῳ τῷ αὐτῷ. σημεῖον δὲ ὅτι τοῦθ' οὕτως ἔχει, ἐπὴν τὰ παιδία γένηται, ψωμύουσιν αὐτὰ αἱ γυναῖκες, τὰ αὔτα φαρμακα, ὥστε αὖ ἡ ὤπρος ἐξέλθη ἐκ τοῦ σὺν τέρου, καὶ μὴ ξυγκαυσθῆ καὶ ἅμα τὸ σὺν τερον δύρινθη, ἐπὴν ψωμίσωσι πυλλὰ δὴ τῶν παιδίων καὶ σφογγύλας καὶ πλατείας ἕλμινθας ἀπεπάτησαν ἅμα τῇ ὤπρῳ τῇ πρώτῃ. Latæ uerò tæniæ qua producantur ætate, non ita explicatam habemus Galeni sententiam. Hippocrates enim latam gigni testatur in puello intra matris uterum adhuc existente: modo ætas dici debeat, dum fœtus adhuc in utero existit: per hæc uerba. Νῦν δὲ ἐρέω περὶ ἑλμίνθων τῶν πλατείων. γίνεσθαι γὰρ φημι σὺν τῷ παιδίῳ, σὺν τοῖσι μήτρησιν ἐόντι. οὐ γὰρ ὄδιν ἐπὴν ἔπαξ ἐκ τῶν μητρέων ἐξέλθη. χρόνος τῇ ὤπρῳ σὺν τῇ κοιλίῃ τοσοῦτος, ὥστε σαπείσης καὶ χρονισάσης, ζῷον παχῦναι σὺν αὐτῇ, ὅτι τοσοῦτον μεγέθει γίνεται. ἄσσον πατέει γὰρ ἀεὶ τῷ ἕωλον ὤπρον αὖὰ πάσας ἡμέρας, ἵν' μέλλη ὑγιαίνειν ὁ ἄνθρωπος. γίνοιτο δ' ἂν τοιοῦτο ζῷον, οὐδ' ἵν' πολλῶν ἡμερέων μὴ ἄσσοπατήσειεν ἄνθρωπος. πολλὰ γὰρ γίνεται σὺν τῇσι μήτρησιν ἐόντι τῷ παιδίῳ, τρόπῳ τοιῷδε. ἐπὴν γένηται πύος καὶ νοσῶδες ἄσσον τῆς γάλακτος καὶ τοῦ αἵματος συστηκομένου καὶ πλεονάζοντος ἅτε πλυκέος ἐόντος ζῷον ἄσσογινᾶται αὐτόθι.

& reliqua. Non est præterea quod & sequentibus non producatur ætatibus: quibus autem id animal fiat posterius paulò idem author edocuit hoc pacto. τῷ δὲ παυδίῳ αὐξανομένῳ, αὖ ξέπει ἐν τῷ ἐντέρῳ ἡ ἕλμινς. ἔπειτα τῶν ἐς τὴν κοιλίην ἐσιόντων. ἡ γίνεται ἴση τῷ ἐντέρῳ, τοῖσι μὲν ἅμα τῇ ἥβῃ, τοῖσι δὲ ὕστερον, τοῖσι δὲ πρόσθεν ὀλίγῳ. quo loco & puberes, & qui hanc præcedunt ætatem. quiq; sequuntur lata affici tænia clarißimè demonstrauit. Nec ob id in ijs solum ætatibus, sed & alijs omnibus eandem fieri rationi consentaneum est. ueluti & alios aliarum specierum lumbricos. experientia si quidem compertum est omneis in omnibus ætatibus produci. Vt enim de lata tænia loquar: mulier quædam olim longam sanè egeßit atque integram ætatis suæ annum circiter tertium agens supra uicesimum, quam adolescentiæ ætatem esse constat. ut interim aliam mittam, cuius superius meminimus, quam senex quidam nobis ostendit anno ætatis suæ octauo supra quinquagesimum. illud tamen Hippoerati non aduersatur. quanquam enim in ætate pubertatem præcedente teretes ascarides q; nasci scribat, in alijs tamen eosdem ætatibus produci haud sanè uel potest negare, uel debet. Ideò uerò eiusce proprios ætatis affectus illos enumerat: tum quòd hæc plurimum ætas horum lumbricorum lue obnoxia existit: tum quòd si in ea lumbricorum genus aliquod nasci contingat, duo illa potissimum enascuntur. Vidimus enim sæpenumero teretes in multis, qui quintam ætatis suæ septimanam agebant, ut interim puberes mittã adolescentes ac iuniores: quos ascarides interdum: plærun-

que teretes, latæ nonnunquam tæniæ discruciant. omnia igi tur lumbricorum genera omneis inuadere ætates ita clarũ est, ut addubitare nisi inexercitatum in re medica neminem contingat. hoc tamen ordine ut ascarides ætate potissimum Hippocrati descripta exoriantur. idest, quæ pubertati pro ximè accedit, licet & in aliis, rarius tamen, procreentur. teretes uerò tum eadem ætate, tum infantia eam præceden te, tum pubertate atque adolescentia primáq; senectute. hi nanque frequentius oriuntur, rarius ascarides, rarissimè latæ tæniæ. esse uerò quædã quorundã familiariora gene ra, quum Hippocrates ipse, tum experientia quotidie id monstrat. quis enim nisi planè ἀφιλόσοφος ætatem Hip pocrati descriptam huiuscemodi procreandis lumbricis ine ptiorem quàm iuniorum: atque ea, quæ constituta nuncu patur, dicet unquam? ut potè quæ bilis non parùm illa flauæ, hæc atræ earum generationi ad uerissimæ coacerua rint. Illud magis considerandum, quod Galenus libro apho rismorum tertio scripsit, caliditatem in ualde tenellis non= dum materiam obtinere: atque ob id in ipsis lumbricos pro duci non posse: ueluti in adultioribus: in quibus & mate ria idonea est. ad omnium talium generationem, & præte rea caliditas adest. hoc etenim Hippocrati & sibimet ad= uersatur. primo eiusdem nominis libro ubi unà cum Hippo crate ait. Qui crescunt plurimum habent innati calo= ris, plurimo igitur agent alimento. Si igitur constat pueros calidi plurimum innati quàm iuuenes habere: mirã dum planè est, quo modo dicat horum caliditatem mate= riam nondum obtinere. Hippocrati præterea alibi repu= Aph. 26. Aph. 14.

gnat, qui quarto de affectibus libro latos ac teretes in puello intra matris uterum adhuc existente interdum fieri memoriæ prodidit. An quòd pituita ætate quum senili tum puerili abundat? quod magis declarans Galenus in eo, quẽ de ratione uictus salubri scripsit commentario, pueritiam ait pituita refertam esse: quum sanguis in ea magis redundare deberet: pituita tamen ob id sanguinem superat, quoniam puerilis innatus calor multa refertus est humiditate, quæ ipsum obtundit, mitioremq; reddit. accedit etiam q, huiusce uoracitas ætatis multos crassos crudosq; producit humores: qui calorem innatum obruunt ferè, ac retundunt. non igitur iniuria Galenum dixisse credendum est caliditatem insitam in ualde tenellis nondum materiam obtinere: ut ex ea lumbrici producantur. Hippocrati præterea ita respondebimus id fieri solere, nõ quòd fœtus propria caliditas materiam obtineat: Siquidem maior humiditas tunc adest caliditate: uerum quòd matris calore ita ualida fit, ut illam possit materiam superare: atque adeò in teretum latiq; formam animantes procreare. Hoc igitur pacto non per sese ac propriè, uerum ex accidenti oriuntur. Illud tamen raro fieri constat: ut quum fortè temperatura fœtus iusto calidior esset, aucta tunc matris caliditate eos, quorum sermo fit, lumbricos producere posset.

## Quæ magis lumbricis obnoxia temperamenta, sexusq; sint. Cap. X.

VArias hominum temperaturas esse ita clarum est, ut addubitare perridiculum uideatur. An uerò lumbricorum eas omneis lues inuadat, satius fuerit explicare. quod commode satis fiet, si prius ueluti axioma quoddam ratum habuerimus, lumbricos non ex omnibus succis produci: ueluti rectè supra fuit commonstratum. Temperaturas uero taleis esse constat, quales ij sunt, qui eas efficiunt succi. quum uerò ex pituitoso crudo, crassoq; illos humore produci iam dictum sit: relinquitur, ut quæ ab hoc succo exhuberante fit temperatura, ijs potissimum obnoxia censeatur. Siquidem ex sanguine, qui calidam atque humentem temperaturam constituit, uel potius temperatam, non tantum quòd altrici facultati familiaris maximè existit, lumbrici nasci non possunt: uerum quia interceptus in uenis, non nisi per symptωma quodpiam illas egreditur: qui tamen confestim eijcitur, uel in suppurationem in aliqua corporis parte Hippocrate authore colligitur: qui ad hunc modum scribit. Si in uẽtrẽ sanguis præter naturã effunditur, necesse est suppurari. Biliosa præterea temperamenta illud incommodum facilè uitant: calida quum sint ac sicca. quòd uero ex calido & sicco nihil producatur, Hippocrates Aristotelesq; memoriæ prodiderũt. melancholico demum succo referta corpora quòd & ipsa lumbricis producendis accommoda non sint, uel eo constare potest: quod bilis quam uocant, atra sicca frigidaq; quum sit, generationi ineptissima existit. Illud tamen inquisitione dignum uidetur quod Galenus libro naturaliũ facultatum secundo pituitam scribit, quæ quartum nostri

Cap. 7.

6. aphor. 20.

Cap. ult.

corporis ſuccum conſtituit, & quæ uere pituita exiſtimatur, non niſi in uenis cõtineri: quod quum ita ſit, quomodo ex ea putreſcente lumbrici orientur? quum potius quotidiana, quam uocant, febris inde fieri cenſeatur. Si nanque pituitoſæ temperaturæ hominis lumbricis infeſti ſunt: quãdo pituitoſi dicuntur, quia pituitam crudosq; ſuccos in uenis gerunt, non in alia quauis corporis cauitate: atque huiuſcemodi lumbrici in uenis produci non poſſint, uel debeant: fit, ut neque ex pituitoſo ſucco ualeant procreari ex quonam igitur fieret? An quòd pituitæ nomen latius preſſiusq; ſumitur? id eſt pro ucra, quæ in uenis procreatur, cuius Galenus meminit loco iam commemorato: & pro fictitia, quæ pituitoſum potius excrementum dici debet? huius fictitiæ meminit Hippocrates primo de aqua locis & aere libro, p hæc uerba. Pituitoſis itaq; par eſt difficultates inteſtinorum aduenire, & mulieribus pituitam à cerebro defluere propter naturæ humiditatem. & reliqua. ubi pituitoſos eos appellat, qui in uentre inteſtinisq; crudũ coactum habent humorem: qui quum frigidus ſit atque humidus pituitæ more, pituitoſum uocat. Siquidem difficultas inteſtinorum ac uentris tormina ex pituitoſo excremẽto inteſtinis congenito plurimum fieri aſſolent. uocat etiã pituitam eum, qui à cerebro defluit, humorem: qui mucus potius ac deſtillatio dici debet, græcè ῥεῦμα. eodem etiam pacto pituitæ nomẽ latius ſumpſit Hippocrates libro aphoriſmorum ſeptimo. Aph. 31. Quibus in alui profluuijs excrementa ſpumoſa exeunt, his ex capite pituita defluit. Non igitur ex uera uocata pituita lumbrici naſcentur: uerum

ex pituitoſo excremento in inteſtinis potiſſimum genitò: quo plurimo abundant, qui frigidæ humidæq; temperaturæ ſunt homines, id eſt pituitoſi: ſumpto pituitæ preſſius nomine. Etenim ſi uera pituita refertæ ſint horum uenæ, quod tamen minus uideri deberet, quum in eis ſecunda fiat concoctio, in qua ſuccus iſte tranſmutari optimè deberet: multo magis in eorum uentriculis atque inteſtinis idē met pituitoſus craßus cruduſq; ſuccus continebitur: cuius cibum tantum permutare munus exiſtit, non in ſanguinem pro corporis nutrimento conuertere. Conſtat uerò nullum pituitæ genus in corporis alimentum conuerti, niſi quod in uenis decumbit: quo tandem fit, ut dicamus eadem temperamenta lumbricorum generationi aptiſſima fore. Vnde fit etiam, ut mulieribus plurimum lumbrici innaſcantur: tum quòd maribus frigidiores exiſtunt, tum etiàm quia domi plurimum uerſantur, multoq; ocio deliteſcunt, in quibus plurima pituita abundat. accedit etiam, quòd eduliorum uarietate & ſanè prauorum plurimum gaudent: ex quibus pituitoſus ſuccus ſuccreſcit. Neque tamen inficias ibis, ſi alterius temperaturæ homines lumbricis infeſtari conſpexeris (id enim frequentiſſimè apparet) quando temperaturæ ſæpe uariæ fiunt uictus ratione uitæq; inſtituto: ut ſi quis bilioſus ſuapte natura craßis ac lentis edulijs uſus fuerit, multoq; ocio delituerit: atque uitæ inſtitutum, quod exercitium in præſentia interpretor commutarit: is profecto pituitæ copiam, tum uentre ac inteſtinis, tum uenis coget: quæ poſtmodum putreſcens lumbricos ex accidente procreabit.

*Quibus anni temporibus lumbrici potißimum procreentur: & qua diei parte plurimum ægrotantes infestentur.* Cap. XI.

Vatuor anni tẽporibus quatuor noſtri corporis ſuccos pro portione reſpõdere Hippoc. abũde demonſtrauit. ueluti & diei quatuor partibus eoſdem reſpondere Soranus ille Epheſius rectè memoriæ prodidit. accedit eo quòd ijſdem quatuor animalium ætates diſtinguuntur. Quam autem ob cauſam hiſce temporibus humores incrementum ſuſcipiant, paucis quoad eius fieri poterit, abſoluam. atque ut à pituita initium deſumam: maior hyeme fit eius copia ob frequentiores pluuias, noctesq; longiores. quod perinde dictu eſt, ac ſi dicas humidum frigidumq; hoc tempus eſſe. humidum pluuiarũ multitudine, frigidum noctium prolixitate. Siquidem caloris, quo præditus eſt ambiens nos aer, æſtate author eſt ſol: qui tum aſcendit propè ad uerticem noſtrum, & diẽ efficit longiorem. Idem præterea frigiditatem hyeme inducit: quòd obliquus & humilis paruo tempore ſuper terram feratur. Si igitur hyems humida eſt & frigida: meritò in ea humida ac frigida pituita præualet. huic aſſentit & aliorum ratio temporum: æſtate flaua bile dominante: ſi quidem calida & ſicca facultate, ueluti æſtas, exiſtit. Vere ſanguine humido & calido ſucco, uel potius temperato: autumno uerò atra bile, nempe quæ perinde atque hoc tempus ſicca eſt: quæ iure eiuſmodi euadit, propterea quòd humores deuſti erant æſtate.

Iam quod ex deustis illis reliquum est, restincto quidem calore, frigidum siccumq; redditur: frigidum ob calorem extinctum, siccum quòd eius omnis dum assaretur, fuit humor consumptus. Quum igitur hyeme pituita polleat, ueréq; sanguis exhuberet: ueluti æstate flaua, autumno atra bilis dominetur: qua nam anni parte lumbrici plurimum progignantur, age exquiramus. constat autem eos ex superabundanti ritu ita fieri: hæc uerò hyeme quum plurimum gignitur, atque augetur, hyems igitur plurimum producentur. quod nimirum ita absurdum est, ut quid uis aliud. quando experientia nos docet autumno potius, quam reliquis anni temporibus fieri: secundo ab hoc loco uere, minime omnium hyeme. Huiusce uerò rei causam edi scet. Autumnus aliorum anni temporum occupatione acutissimos. Læthalesq; morbos parit. autumno enim illud in primis adest, quòd eadem die modò calor, frigus modo inualescit. Siquidem manè frigus uiget, circa meridiem magnus æstus, qui rursus ad crepusculum uespertinum transit in algorem. deinde æstiuum subsequitur tempus, in quo multis quidem humores assati sunt: quibusdam uerò & uires sunt debilitatæ. non solum autem hac ratione autumnus malus est, uerum etiam, quia primum quidem humores mouebantur ad cutim atque diffabant. autumno uerò ab aeris frigiditate intus truduntur atque ad interiora repelluntur. Hæc quidem omnibus hominibus communia sunt: his uerò qui malo utuntur uictu, quiq; uoraces existunt, ueluti pueri maximè esse solent, ex super-

abundanti fructus accedunt: quibus abundè repleti malorũ succorum plenitudinem generant: quibus demum putredine correptis huiusce modi lues innascitur. Qui uero hæc uitia fructus adaugeant, ijs sunt, quos Græci ὠρχεῖους fugaces Plinius appellat. Quum igitur hæc omnia quotquot ante exactam maturitatem esitantur, flatulenta sint: hoc uno potissimum uitio prædita sunt, quòd uitiosum maximè succum progignunt. quo plurimo in uentre coacto, caloreq; tunc temporis innato extincto ferè, ne dicam imbecilli facto, multæ putredines innascuntur: ex quibus postmodum lumbrici exurgunt. Hoc igitur pacto autumno lumbrici procreantur, non ex succo, quem potissimum autumnale tempus parit, melancholico: neque hyeme, quò præcipuè tempore pituita uiget. huic tamen sentẽtiæ reclamat Hippocrates sexto de morbis uulgaribus libro: qui ascarides ait in anni potissimum occasu produci. constat uerò anni occasum hyemem esse, non autumnum: hyeme igitur lumbrici producentur. An quòd anni occasus id temporis Hippocrati existit, quod autumnum nos nuncupamus? solet enim Hippocrates anni quandoque similem ei diuisionem facere: qua naturalem diem partiri solemus. matutinæ etenim diei portioni uernum tempus, meridiei æstas, occasui autumnus, hyems nocti similatur. quum igitur occasui diei similis cẽseatur. non hyemem, uerum autumnum per anni occasum Hippocratem intelligere facilè cognoscitur. quod clarius secundo de morbis uulgaribus libro colligitur per hæc uerba. Οἱ κατὰ τὸ θέρος μᾶλλον γίνονται, καὶ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ὥρῃσιν. ἐπιχειρέουσι δὲ μᾶλλο

Lib. nat. hist. 15. cap. 13.

Part. prima in initio.

λον θέρεος. φθινοπώρου μάλιστα θηριώδες. καὶ ἡ καρδιαλγίαι. καὶ τοι καὶ αὐτὴ ἦσον κακουργέοι αὖ, αὐτῷ τῷ νοσήματος τουτέου ἐόντος αἱ ἀσκαρίδες δείλης, ὁμοίως τούτω. καὶ ἐκεῖναι τηνικαῦτα ὀχλέουσι τῆς ἡμέρης τὰ πλεῖστα. οὐ μόνον διὰ τὸ μᾶλλον πονέειν, ἀλλὰ καὶ αὐταὶ διὰ σφᾶς ἐώντας. ci φθινοπώρῳ ὀξύτατοι νόσοι, καὶ θανατωδέστατοι. τὸ ἐπίπαν ὅμοιον, τῷ δείλης παροξύνεσθαι. ὡς τῷ σνιαυτοῦ περίοδον ἔχοντος τῶν νούσων. Recte igitur per anni occasum autumnus est intelligendus. quamuis Caluus perperàm plane post meridianum tempus illud appellauerit. Siquidem fucata falsaq; sua uersione adeò omnia obscurauit, ut uix sententiam eruas. Illud etiam Hippocrati alibi probatur, dum sexto eiusdem nominis libro ad hunc modum scribit. Τὸ θηριῶδες φθινοπώρου, καὶ αἱ καρδιαλγίαι. ἢ τὸ φρικῶδες, καὶ τὸ μελαγχολικόν. ubi τὸ θηριῶδες ait hoc est ferinum: quo sanè nomine interaneorum animalia lumbricos uidelicet significauit: quo potissimum tempore fieri existimantur. sunt enim ferae interdum ferocissimae, ueluti eorum in corpora scæuicies ostendit. Verum alio in loco in anni occasu eosdem fieri lumbricos scripsit: autumno igitur fient, autumnusq; anni occasus nuncupabitur. id quòd exemplo quarto eiusdem nominis libro ab Hippocrate scripto probari facile potest. dum ait. Τῶ φθινοπώρου ἤμεσε χολὴν μέλαιναν ἢ δυσεντερίην, καὶ οἱ φρικώδεσι πυρετοὶ, καὶ καρδιαλγίαι χολώδεσι, καὶ τὸ ἑλμίνθιον. quibus uerbis quicquid suprà paulò cõmemini, clarius edocuit, ueritatemq; habere demõstrauit. Sunt qui lũ-

Part. 1. aph. 13.

Part. 1. sexti de morbis uulgaribus libri aph. 14.

bricos uere produci contendunt, quod mirum fortasse uideri debet: quando uer saluberrimum cætera inter anni tempora utpote temperatum, & sit & dicatur: in quo istiusmodi affectus produci non deberent, qui ex ingenti putredine fiunt. Si quis tamen diligentius pensitet, in hanc opinor, ibit sententiam: ut uer saluberrimum quum sit, in eo etiam lumbricos nasci posse certò sciat. quod quomodo fiat, perquiramus. Ver saluberrimum anni temporum esse, nemo non nouit. uerum quum hyemem sequatur, in qua calor innatus maximè quum omnibus, tum pueris præcipuè uiget: & ob id multa alimentorum copia eo temporis corpora indigeant: rationi consentaneum uidetur multa etiam fieri excrementa, quæ ob ambientis nos aeris frigiditatem latitantia, accidente ueris temperie, quòd hyemis cõparatione calidum dici debet & existit: omnes quicunque nostris insunt corporibus, confertim mouentur humores, ac defluunt, qui ueris caliditate alterati putredini fiunt ob noxij. quo fit, ut ad eiuscemodi coercendos succos impotentior factus, ipsi putrescant: è quorum demum corruptione lumbricorum lues innascitur. Ea etiam ratione. Ver lumbricis procreandis idoneum existit: qua tabidis Hippocrates noxium esse commemorat. dum sexto ἐπιδημιῶν libro ita inquit. Part. 7. aph. 15. Τοῖσι φθίνουσι τὸ φθινῶπορον κακὸν, κακὸν δὲ καὶ τὸ ἔαρ, ὅταν τὰ τῆς συκῆς φύλλα ὡρώνης ποσὶν ἴκελα ᾖ. Non enim uniuersam ueris constitutionem tabidis malam esse ait Hippocrates, sed eius tantum initium: quod fermè cum autumno cõuenit, inæqualeq; existit: iam scilicet frigidum, iam calidum. proinde nos etiã

nõ ſimpliciter uer lumbricis producẽdis idoneum dicimus, ſed quadam cum adiectione: quando nimirum fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint. id quod ueris initio fieri ſolet. ob eius uidelicet inæqualitatem. Qua uerò diei parte lumbrici pueros magis uexant, facilè conſtabit: Si prius quid per diem audiatur, explicabitur. Diem appellant uiginti quatuor horarum ſpacium, utique ut cum diei nomine nox quoque una comprehendatur. hic uerò dies in quatuor ſecari parteis debet: quarum quæque horarum ſex ſpacium contineat: & in quarum prima, quæ à tertia ante lucem incipit hora, id eſt ab hora noctis nona, & ad diei tertiam uſq; protenditur, quam matutinum uocant tempus: ſanguis humano corpori prævalet: hæc autem ueri cõparatur. quæ uero ſequitur hanc diei pars, & ad horam diei nonam uſq; perdurat, quæ meridies eſt, quæq; æſtatem imitatur, bilis flauæ potentiã oſtẽdit. hanc ſequitur ea quæ diem claudit, ac nocti initium præſtat, quam diei occaſum Hippoc. nominauit: ad horam noctis tertiam uſq; perdurãs: in qua nigra uiget bilis, quæ autumno perſimilis eſt. q, uero à tertia noctis hora ad eiuſdẽ nonam uſq; tẽpus interponitur, pituitæ adſcribitur, in quo potißimum inualeſcit. id uerò hyemem imitatur. Qua uerò harum totius diei partiũ lumbrici ſolita magis inferent ſymptωmata? An quod in totius diei occaſu talia magis ſymptωmata pueros lancinant? Siquidem hoc tempore febrium acceßiones, quæ lumbricis affectos inuadunt, uigere plurimum aſſolent. quod Auicennas ẽt aßerit, ipſo dicens ueſpere commoueri, & plurimum hora ſomni. tunc enim tempus ſomno idoneum exiſtit, niſi quid

16. tertii tr. 5. c. 2.

obſiſtat. idipſum teſtatur Hippocrates, qui locc iam commę morato lumbricos inquit in diei occaſu magis infeſtos eſſe: ubi occaſum diei id temporis uocat, quod ueſpertinum nun cupamus. Quam autem ob cauſſam ea diei parte lumbrici plurimum ſint infeſti, uel eo patet, quòd quatuor cuiuſque uel ſymptωmatis uel febrilis acceſionis tempora numeran tur: principium incrementum, ſtatus & inclinatio. quum ergo in diei occaſu lumbrici pueros maximè diſcruciant: colligi poteſt eo tempore ſtatum ſymptωmatum, ac febriũ ſymptωmata inſequentium adeſſe: in quo omnia ſunt fortio ra. ueluti teſtatur Hippocrates. dum ait. Circa initia & fi= nes omnia imbecilliora, quum uerò conſiſtunt, fortiora.

2. aphor. 30.

## An cæteræ præter hominem animantes lumbricis obnoxiæ ſint, & quæ quibus: & an omni in regione hominibus brutisq; innaſcantur: & plura de animalibus locorum uarietate interreuntibus uel deterioribus euadentibus. Ca. XII.

Æteras etiamnum animanteis hanc labem occupare nemini non motum eſt. alios etenim alia animalia. aſcarides nanque in iumentis plurimũ apparent malè cibum concoquentibus: quorum malam co= ctionem fœtor indicat excrementorum: atque hi ad maciem iumenta perducunt. Equum uerò ouesq; iiſdem ferè mor= bis, quibus homines corripi Ariſtoteles author eſt. Ca= nes præterea eoſdem ſæpe lumbricos patiuntur, indicio, quòd

Li. de natura animalium. 8. ca. 24.

quòd quum ijdem infestantur, herbaceum triticum comedunt: quibus etiam sub lingua innasci solet: uiuiq; acu lingua perforata educti curantur. Gallinaceis insuper, ijsq; præsertim qui in caueis domi saginantur, nasci sæpe compertum est. similes in ceruino capite uiuos inueniri tradunt. Aquatilium uerò plurima hoc malum perpetiuntur, ut enim à Lacustribus exordiar, Balero, & Tiloni lumbricus Canis exortu nascitur: qui debilitat, cogitq; ad summa stagni efferri, qua æstu intereunt. Tunni porrò & Gladij non minus agitantur asylo, canis etiam exortu. habent enim utrique per id tempus sub pinna ceu uermiculũ, quem asylum uocant, scorpionis effigie, magnitudine ara nei. infestat hoc tanto dolore, ut non minus interdum gladius, quàm Delphinus exiliat. unde fit, ut uel in nauigia sæpenumero incidat. Locorum præterea diuersitate differentia oritur. Siquidem lumbrici non omnium regionũ hominibus innascuntur. Sunt enim Theophrasto Plinioq; authoribus gentium differentiæ non mediocres, ueluti scribunt de tænijs lumbricisve inesse Ægypti Arabiæ, Siriæ, ac Ciliciæ populis: é diuerso Thraciæ Phrygiæ omnino non nasci. minus id planè mirum, quam quod in confinio Atticæ Beotiæq; Thebanis innascuntur, quum absint athenienſibus. Ad eundem modum refert Aristoteles non omnia omnibus in locis nasci animalia. ut enim locis quibusdam gigni omnino aliqua nequeunt: sic aliis generãtur quidem, sed pauciora & uita breuiore, nec prospera. Locis etiam uicinis discrimen huiusce modi inest. ueluti agri mylesii locis sibi propinquis cicadæ alteris gignuntur, alteris

Lib. de hist. plãt. 9. c. 22. & lib. nat. hist. 27. cap. 13.

Lib. de natura animaliũ. 8. cap. 28

non. Amnis in cephalenia insula dirimit, cuius circa alterum latus est cicadarum copia, ultra alterum nullæ. In prodoselena, uia interiacet, cuius circa alterum latus gignitur Cattus, ultra alterum gigni non potest. Terræ Bæotiæ in Orchomenio lacu talpæ habentur multæ, at in Lebadio uicino nullæ sunt: neque si aliunde portatæ eo fuerint, uolunt infodere. In Itacha insula lepores si aliunde illati dimittantur, uiuere nequeunt: sed eodem reuersi, unde maris introierint insulam, moriuntur. In Sicilia formicæ, quæ æquites appellantur, non sunt. In Cyrenensi agro ranæ uocales præterito tempore deerant. Huiusce uerò rei caussa ad terræ naturam, regiones, uentosq; eas potissimum perflanteis, cœli statum uictus rationem temperamenta, uitæq; institutum, & id genus reliqua omninò est referenda. quibus optimè disquisitis ac liberatis quiuis uel facile poterit huiusce miraculi caussam uestigare. nostra uero non interest hæc in præsentia perscrutari: sat sit scrutandi ansam præbuisse.

## Mira quædam de lumbricis olim uisa, quotidieq; euenientia. Cap. XIII.

MIros quidem certè quotidie lumbricorum affectus conspicimus: uomitiones crebras, & cordis morsus: appetentiæ corruptionem, singultus ingenteis, intestinorum tormina ileum, colicos affectus effatu dignos, & animi sæpè deliquia. maximos ad hæc capitis dolores, sopores, distentiones, comitiales, attonitos morbos, anginas, urenteis febreis, & tandem in-

teritum. miros omnium modorum cruciatus perpetimur: nunquam stare loco scimus: uerum semper huc illuc temerario quodam impetu ac exordinato motu ducimur: ut etiã stare uolentes, titubantes procidamus. Hæc omnia Antonius Beniuenius Florentinus puero cuidam lumbricis laboranti contigisse memoriæ mandauit. Cap. 92. Nos uero puellam curauimus, in qua cuncta spectabantur symptomata, quæ pleuritide laborantibus solent obuenire. dolor in primis aderat punctorius in thoracis dextra parte, tussicula quædam sicca uel leui quaq; occasione commota, pulsus arteriarum durus, serræq; haud omnino dissimilis ac recurrẽs: spiritus offendens, continẽs febris. huius quũ interdum uidere mus totum corpus frigidũ, nonnũquam calidũ cũ malarum alterius rubedine fieri: sumpto ad lũbricos necandos ac educendos medicamento, statim plures eduxit, atq; incolumis euasit. Mirum præterea ac uix credi dignum eorum numerum p̃ sedẽ deiectũ uidimus, qui septuaginta ac septẽ supra centũ numerũ compleuerunt. ut omittã quæ de horũ multitudine ab eodem Beniuenio scripta sunt: qui refert puerum Cap. 85. quendam duo de quinquaginta supra cẽtũ aluo deposuisse. Miros quin etiam educẽdi modos uidemus: quum per nares quandoq; reijciantur. Huius eductionis modum quũ Beniuenius met, tum nos ẽt uidimus contigisse pudicissimæ pariter ac pulcherrimæ cuidã mulieri Fanensi. Cap. 100. ut interim omittã, qui per os sæpissime reiectantur: & qui aliquãdo spõte connexi in sphæræ similitudinem plurimi amplexu mutuo sunt uinculati. minus profectò mirũ, q̃ q̃ ex inguinib. ægrotãtiũ eruperint. mirc demũ lũbricorũ formæ sese nobis

offrunt. alij enim lati, rotundi alij, alij aſcarides: rubri nõ nulli uel bilioſi, nigri aliqui, & omnes aut ex parte albi uel fului. Anno à Chriſti domini ortu. 1538. Viſa eſt ſuperioribus annis Recinæ Picentũ ciuitati lata tænia integra, miræ planè longitudinis roſtro ueluti quodam Acuto: acus piſcis more prædita: quæ mouebatur ac ſeſe contrahebat lumbricorum terreſtrium more. hæc ſuperuixit in æreo uaſe aqua repleto per diem ferè non ſine aſſidentium incredibili ac totius recinenſium ciuitatis admiratione. hanc egeſſit puellus ætatis ſuæ annum agens ſecundum ac menſes quatuor. Quòd uerò fidem nullam admittit, & tamen ſi Beniuenio ſpectatæ fidei authori credere par eſt, & quod ipſe ſcribit uidiſſe: hoc eſt. Fabrum uidelicet lignarium quendam unà cum craſſiori pituita lumbricum tandem uomitu expuliſſe: longitudine digitorum quatuor ſatis mehercle plenum rubro capite leui, rotundo, quod piſi magnitudinem non excederet: cætero corpore lanugine quadam confecto: cauda furcata in morem nouæ lunæ, pedibus nixum quatuor, duobus in dexteriorem, totidem in ſiniſteriorem partem coaptatis. hac eadem forma alter uiſus olim fuit apud noſtrates. In urbe Roma præterito anno quidam ætate iam ingraueſcenti cõſtitutus, quum multis diebus maximis torminibus diſcruciaretur, lumbricum tandem aluo depoſuit nigrum, piliſq; refertum, longitudine pedum quinque, magnitudine qualis eſt harundo. Nos uero lumbricum uidimus, qui palmi longitudinem non excederet, rotundis in omnibus perſimilis, præter quàm quòd dorſum habebat lanuginoſum, ita ut pilos rubros imitaretur. hic iuuenem quendam ad mortem

Cap. 2.

*usque perduxerat: quem tamen pharmaco ad febrem tertianam notham, qua iuuenis corripiebatur, idoneo exhibito, unà cum pharmaco ille euomuit: atq; ita incolumis euasit.* Cap. 85.
*ut interim omittam, quæ idem author scribit, medicum quẽ dam frustum carnis olim eiecisse ad paruæ pilæ magnitudinem, in quo uermis bruco quàm simillimus recludebatur.* —
*Simile quid nos etiam uidimus. nobilis quædam mulier Fanensis quum stomacho grauissimè laboraret, plurimumq; pituitæ, eius inquàm, quæ uitrea à Praxagora nuncupatur, euomuisset: ueluti animo linqueretur, paulatim quasi grauiori somno excitata in molestissimum uomitum incidit. quo quum dui agitaretur, durioris tandem pituitæ globum eiecit: quam assidentes quædam mulieres, quum ueneficio affectam dicerent: superueniens ipse intueor omnia, frustumq; ueluti carnis aperio: in quo uermiculum bruco* —
*quam simillimum inuenio. quo tandem eiecto mulier conualuit. Verum ne ex lumbrico elephantum faciam, finem huic disceptationi imponam: atque eorum, qui sæpius pueros lancinant, notas recensebo. si prius qui deteriores, qui ve minus noxij habentur, demonstrabitur.*

## Qui quibus deteriores lumbrici, qui ve tutiores ac minus noxij. Cap. XIIII.

*OMneis omnium differentiarum lumbricos malos esse, ut qui corporibus officiant, quiuis nouit. qui uera deteriores habeãtur, inter omneis qui rem hanc scriptis mandarunt, nullus est, qui id doceat,*

16.tertii tr.5.ca.2. uno Auicẽna excepto: qui de ijsdem hoc modo scribit. Et ex eis minus noxij habentur parui: quoniam lõge absunt à principijs, & quoniã sunt aptiores expulsioni cũ fece forti spissa. uerũ ipsi si magni fiunt, & accidit ipsis ut remaneãt spacio aliquantulo, et magni fiant in eo: tunc sunt omnibus deteriores: quoniã ipsi sunt ex deteriori materia. deinde lõgi: nam ipsi non sunt in malitia latorum: quoniam materia eorũ uehementioris est putrefactionis. et quæ sequuntur.

Li.4.c.17 Cui Celsus adstipulatur: qui latas inquit tænias omnium deteriores esse. Vnus uero supereſt scrupus dissoluendus. quum. n. ascarides remotissimum ab ore ac uentriculo locũ sortiantur, rectum inquam intestinum: atq; ob id facilé uel leui quopiam præsidio pellendi: cur Gal. uehementissimus curet medicamẽtis: ueluti et latos. ita nanq; scribit. Lati uehementiora poscũt præsidia, quale felix est, ueluti et qui ἀσπαρὶς græcè dicitur. Auicennæ præterea incõstãtia deprehẽditur. uno. n. in loco ascarides innoxios planè esse, alibi uero unà cũ Gal. uehementissimis eosdẽ præsidijs pellendos consuluit. An q; Auicennas seipsum declarat, atq; à cõtradictione uendicat? dũ ait. Verũ ipsi si magni fiũt, & accidit eis ut remaneant spacio aliquantulo, & magni= fiant in eo, tunc sunt omnibus deteriores: quoniã ipsi sunt ex deteriori materia. ex humiditate. n. illa fœculẽta crassa ac ueneno proxima, ut quæ nulli apta sit rei in recto intestino consistente ascarides geniti, temporis spacio adaucti, inter cætera, quæ inferunt symptomata, animæ interdum deliquium pariunt: nisi ualidissimis præsidiis pellãtur. præterea quũ ascarides longè absint ab ore ac uentriculo, per

Lib.14. methodi med. in fine.

quæ loca medicamenta ad lumbricos uel necandos uel educẽ dos transferuntur, non niſi per quàm imbecillia ad eorum ſedem perueniunt. ut igitur commodè interimantur, ualidiſ ſimis utendum eſt medicamentis. Verum hactenus hæc lumbricorum notas recenſeamus.

## Teretum lumbricorum notæ. Cap. XV.

Vmbricorum igitur notas, ab ijs qui teretes uocantur, exorſi dicamus: tum quia frequentius hi pueros uexant, tum q, ſcæuiora inferunt ſymptωmata. de quib. Paulus hoc pacto ſcribit. Sequitur aũt eos, qui teretes lumbricos continent, ueneris & inteſtinorũ morſus: tuſſis exigua cũ ſiccitate irritãs, et moleſta. nõnullos ſingultus comitatur: alij dormiẽtes ſaliũt, et abſq; rõne expergiſcũtur: aliqui clamitãdo ſurgũt, ac rurſus ſopiũtur arteriarũ pulſus inæquales: febres abſq; ordine: quæ cũ extremorũ ꝓfrictione tertiã, interim quartã die uel nocte acceſſionẽ ſine ratione habẽt. Pueri ſupuacue mandũt, & linguam exerunt, dentibus ſtridẽt, conniueat oculis, tacitur nitatem diligunt, excitantibus iraſcũtur. malæ ꝓ exigua interualla modò rubent, modo luent. Si uerò ad uentriculum procurrunt, nauſeam, morſus, & inappetentiã faciũt: et ſi cibũ capere ægrotantes coguntur, uix deglutiũt: et ſi quid accæpint, reuomunt, multas quoq; uẽter ciborũ corruptiones excernit, & inſtar tympani inflatur: reliquum corpus nõ ex rõne macreſcit, neq; eſurie, neq; euacuatione medica ſuborta. Hæc aũt euenunt dum animalia per inteſtina ſerpunt roduntq;, febris autem calor uapores ſurſum Li. 4. c. 57

cerebro prauos transmittit, ex putrida in uentriculo collecta humiditate exhalantes. Hæc Paulus. Actius uero in hunc modum. ex Herodoto. Cæterũ inquit, hoc malo affectos incredibilis morsus stomachi ac uentris comitatur: tussiculæq; tenuissimæ ac frequenter irritantes: quum tamen nihil reijciatur. in somno tremunt, & præter naturam exurgunt. quidam uerò & linguam foras exerunt, oculosq; claudunt, ac taciturni sunt, excitantesq; molestè ferunt, ob imbecillitatem uigilare nequeuntes. quidam autẽ oculos sanguine suffusos habent, & pulsum inæqualem ob scurum, deficientem ac recurrentem. quibusdam etiam appetitus deiectio accidit. Pueris insuper dum dormiunt, manducatio linguæ, cui accedit conformatio oris in modum lactentium, aut cibum accipientium. uerum hæc pauco tempore, & per interualla fiunt. aliqui uerò infantes præter rationem & cum clamore exurgunt, citoq; rursus collabũtur. aliqui etiam dentibus strident: quod contingere uerisimile est animantibus cibum attrahentibus, mordentibusq; uentrem ac intestina. Iam uerò & ad stomachum quosdam processisse constat: nausearumq; ac morsuum causas fuisse: sæpe etiam per sese sursum reiectantur: aliquando uerò cum pituitoso quopiam humore. quidam etiam infantes neglecti motu destituuntur ac refrigerantur: atque instar eorum, qui animo linquuntur, tenuem quendam ac frigidum humorem exudant, & ut plurimum liuescunt. contingit autem aliquando faciem fieri rubicundam, maximè circa malas: uerum color hic rursus in pallorem solito maiorem transit. alij autem instar delyrantium peregrina uerba lo-

Lib. 9. cap. 39.

quuntur in somnis. alij decubitum transmutant continuè dormientes, angoreq; uexantur: atque ex loco ad locum sese uicissim proiectant. uerum paucos omnino ex his plorare constat. pleriq; enim in mentis inopia ac taciturnitate degunt. Porrò qui à lumbricis rotundis infestantur, etiam cibum auersantur, & si quid accæperint reuomunt: aut nauseabundi uix deglutire possunt febres enim eos cum uehementi extremarum partium refrigeratione irruunt. quibusdam autem uenter ad tympani modum inflatur. Hæc Aetius. Quas uero ex Hippocratis sententia notas recenset, hæ sunt. Lumbrici circa aluũ his signis deprehenduntur: si somnolenti sint non permittente morbo, & extremæ partes frigidæ, & cordis morsus, urinæ conturbatæ, & lingua humectatur. Item qui animantibus in uentriculo abundant, sputo replentur. & si tenuis quisp̃iam prodierit lumbriculus, amplius non spuunt. Quicunque igitur in ore uentriculi lumbricos habent, ferè in totum ipsos uomitu reiectant: quibus uerò in intestinis existunt, ipsos infernè excernunt. omnes autem nauseabundi sunt, uomuntq; quæcunque acceperunt. his qui punguntur similes sunt, totoq; corpore contrahuntur, ac repente aceruatimq; mouentur: & tormina accidunt interancorumq; dolores. Euaporationes quoq; ad caput delatæ uertigines inducũt. Quin & uictus ratio, quæ præcesserit, ostendet tibi lumbricorum generationem. & reliqua. Hæ igitur sunt teretum lumbricorum notæ: quæ tamen non in omnibus sunt omnes quærendæ (ueluti inquit Paulus) sed quædam ac potiores. Poterant & multa ex neotericis huic conferri, Lib. 4. cap. 58.

*nisi quæ dicunt, ab his omnia & magis ab Auicenna desumpsissent.*

## Latarum tæniarum notæ. Cap. XVI.

Li.4.c.58

LAtarum tæniarum notas has Paulus scribit. *Abundant interdum in non febricitantibus, interdum febricitantibus in longis morbis supervenientes, morsus stomacho inferentes, appetitumq; ad cibos intemperatum. escam etenim ita deuorant, ut alia opus sit: quæ nisi præsto adsit, morsus inferũt uehementis. tenuitas corporis cum imbecillitate, quadamq; inæqualitate contingit. In fallaciſsimum uerò indicium est, q, cũ alui excrementis corpuscula quædam cucurbitæ seminibus similia excernũtur.* Hæc Paulus. a quo nõ dissentit Actius: nisi q, quos

Lib.9. cap.40.

*uentriculo inferunt morsus dicit esse continuos, atq; appetitum ad escam inexplebilem: & q, cibi assumpti celeriter in excrementa cõmutantur. Consequitur dicens, affectos corporis gracillitas, & imbecillitas cum tarditate, assiduusq; famis sensus. q, enim uiuificatum est in intestinis, ubi recẽs exhibitum cibum consumpsit, postea ipsa solida corpora arrodit. minimè uerò fallax signum erit, si cum recrementis quædam cucurbitæ semini similia excernuntur.* Quas uero Hippocrates notas recenset, hæ sunt. scribit .n. ad hunc

Lib.4.de affectib.

*modum. Species aũt alia huius est, quæ ueluti ramenta alba intestinorũ exit: quæ has notas habet. nã ueluti cucumeris semen deijcit: quumq; ieiunus est, iecur petit, uexatq; spuitq; multũ: quandoq; non: quandoq; quũ uehementer ie*

cur uexat, uocē intercipit, multumq; ſpuit, poſtea ſiſtitur: & inteſtinorum maximus interdum dolor innaſcitur. quā doq; ſcapulæ dolitant. illicq; ſiſtitur. quādoq; hæc latæ tæniæ ſigna dantur. Quis hāc beſtiolam habet, ſemper fermē ualidus eſt: quū uero debilitatur, uix ſuſtinet reficitur'ue. tænia. n. earum rerum, quæ uentriculum intrant, partē ali quam ſumit: qui ſi curatur ſaneſcit: ſin minus, tænia quidem ſpontē nō exit, nec perimit, ſed cōſeneſcit, et quæ ſequūtur.

## Aſcaridum notæ. Cap. XVII.

Ascarides uero ima aluo circa quam conſiſtere diximus, uehementem pruritum inferūt ferē ſemper. ueluti Paulus & Aetius ſcripſere: ad animæ quādoq;, uti ferunt, deffectionē. id. n. nominis notatio indicat. aſſidue. n. cōmoti animal cōtinuo extimulāt, et exercent. Qui ab his cruciantur, præcordiorum grauitatem ac dorſi perſentiſcunt. horum notæ ex recremcntorum potiſſimum graueolentia ſumuntur.

## Cōmunes omniū lūbricorū notæ et ex neotericis. ca. xviiij.

Qui lūbricis tentantur, ijs initio oculi transluent ſtatim, genæ liueſcūt: noctu frigido ſudore profluunt, ora ſaliuāt in ſomno: die ſitis magis accēditur, lingua labiaq; areſiunt: oris fætor plurimū adeſt, facies pallet. nauſeæ crebriq; uomitus adſunt. cibos auerſantur, dētibus ſtridēt: nocte præſertim: linguā exerūt, nā &

commanducare uidentur. expergiſcentibus iraſcuntur, alie na uerba loquuntur: lethargi interdum fiunt, præter quàm quod paleas colligunt, capitiſq; dolorem patiuntur: in ſom no clamant: increſcente morbo cor ſupra modum palpitat, uox interſecatur: arteriarum pulſus imbecilles fiunt. quan doque ſupremo cruciatu diſtẽtionibus comitialiter ore ſpu mante torquentur: uenter ueluti tympanicis intenditur: tum interciſiones, tormina, uel colici dolores cum fluore al ui lyenterico quum plurimum ſentiuntur. aluus interdum ſupprimitur, excrementaq; dura egerit. Hactenus lumbri= corum notæ: eorundem præſagia proſequamur.

## Præſagia ex lumbricis ſumenda. Cap. XIX.

PRognoſtica uerò quantum ad aliorum mor= borum curationem, ægrotantiumq; conditionẽ cognoſcendam conferant: quum omnes, tum uel maxime Hippocrates in prognoſticis abundè demon= ſtrauit. qui in primi libri initio de prudenti medico ita me moriæ prodidit. Præſentiens enim ac prædicens coram ægro præſentia præterita ac futura, quæq; ægrotantes omittunt, enarrans: creditur agnoſcere ægri conditionem: atque hinc fit, ut homines audeant magis ſeſe concredere medico. Quoniam uerò difficile admodũ eſt huiuſcemodi præſentire, niſi quis artificioſa utatur coniectura: (uoco ar tificioſam coniecturam, quæ propè ad ueritatem acceſſe= rit: ) hanc uerò quis difficile conſequi ualeat, niſi uires om nium quæ in arte ſunt, didicerit, memoriæ mandauerit, atq;

Tex. 2. & 3.

diligentia omni adhibita, seſe in operibus artis excreuerit. Res uerò cognoſcentur hoc pacto: ſi quis ſupponens aliquam eſſe uitalem uirtutem, ſummopere curet. ut agnoſcat eius ita in robore, ueluti in imbecillitate diſpoſitionem: ubi uero in his exercitatus fuerit, ſtudeat deinceps omneis morborum tam in magnitudine, quàm etiam in more differentias: & poſt hæc futuri ſtatus præcognitionem perdiſcere. ubi uerò hæc omnia didicerit, tunc ſeſe exerceat in comprehendenda per exquiſitam coniecturam tam morbi magnitudine, quàm ægrotantis robore, & quanto hæc tempore poſſint perdurare. multum uerò ad hoc illum adiuuabit in operibus exercitatio. Prius uerò quàm ea omnia, quæ diximus, diligenter didicerit, nihil ægrotos intuendo proficiet. Hac igitur methodo medicinam profitentes, nullam unquam calumniam ſubibũt, neque curando neque præſagiendo: id quod celeberrimis quibuſdam medicis interdum accidiſſe ferunt. Hinc itaque colligi poteſt, cur alijs alij fortunatiores medici adiudicantur: & quam mendax, quicunque is fuerit, qui medicum oportere fortuuatum eſſe dixerit: quod quàm abſurdum dictu fuerit Eraſiſtratus olim, & Galenus demonſtrauere: medicum dicentes tum mente exercitatum in omnibus, tum diligentem, tum etiam natura prudentem eſſe debere: ut omnibus inter ſe collatis unam prædictionis ſummam, quæ & ſibi & laboranti ſit ex uſu, ualeat comparare. tanta enim prædictionis uis exiſtit, ut ſemper uel magna ex parte præſagia eueniant: ubi is ipſe qui curat, medicus optimus eſt: & æger nihil delinquit. Quoniam

*uerò ut constat, ex prognosticis medicus immortalitatem ferè consequitur: tum maximè ex ijs quæ ad hunc spectant affectum, gloriam sibi comparabit: ægrotantibus, qui plurimum pueri sunt, nescientibus uel uerbum quidē morbi eos affligentis exponere. quum igitur huic affectui summopere necessaria præsagia sint: quæcunque de ijs ueteres scripsere huic conferre non cunctabor.* Paulus ergo Galeni maximus æmulator de his ad hunc scribit modum. Lib.4. cap.58. *Circa febrium initia geniti subsistentiam ex subiecta habent corruptione: circa consistendi uigorem ex morbi malignitate: circa declinationem omnino ad melius proficiunt.* ait enim Hippocrates. Lib.prædictionū 2.aphor. 18. *Bonum & lumbricos teretes exire ad crisim eunte morbo.* Aetius uerò & Herodoti medici sententia ad hunc modum. *Lumbrici in febribus & absque febribus fiunt: multitudine, magnitudine, colore, & tempore inuicem differentes. circa enim morbi principia geniti subsistentiam ex subiecta recipiunt corruptione: circa consistendi uigorem ex morbi malignitate: circa declinationem ex transmutatione ad melius: qui & celeriter excernuntur, & natura eos ad exteriora non secus atque cætera excrementa propellente.* Lib.9. cap.39. *Deteriores uerò sunt maiores minoribus, multi paucis, rubri albis, & uiuentes mortuis. His neoterici addunt. incipientibus acutis morbis si lumbrici teretes uiui deijciuntur, pestilentes morbos indicant: inclinantibus autem mortui malū quoq; auguriū faciunt: inter utrunq; tempus, quoquo modo appareant malo est. ob id fortasse quod febris insequēs lumbricos semper malum sit: quia lumbricorum materiam absumat. accedit et*

quod lumbrici ex febre inflammantur & incalescunt, con torquenturq; ac mouentur: ut eo magis lumbricis affectos molestent & afficiant. Addunt præterea experimento constare lumbricos esse in uentre, si manè ieiunis pueris supra uentriculi osculo frigida spargitur: nam in unum congregabuntur locum. Lumbrici sanguine conspersi deiecti malum: intestinorum enim noxam uel magnam indicant. eorundem uomitu deiectio malum: si quidem uentriculum uitiatis humoribus refertum indicat. frequens puellorum anhelitus ac frigidus tumescente adhuc corpore lethale: sequenti enim die mortem prænunciat. Si ægrotantium oculi aliquantisper compressi assidentium digitis nõ clauduntur, moris proxima est. Sunt qui Alsaharauij fortasse authoritate persuasi, dicunt ascaridibus infestos breuioris uitæ fore. Scrupus uerò non mediocris supereſt dissoluendus, quo enodato finem ijs quæ ad prognostica ex lumbricis sumenda spectant, imponam. Aetius uiuentcis mortuis deteriores lumbricos supra paulò dixit: Rasis uerò atque ipsum sequutus Auicennas oppositum sentiunt, mortuis uiuos simpliciter præferentes. in qua quæstione ut alios mittam: illud mihi dicendum uidetur, firmius semper esse iudicium, quod ex mortuis sumitur: ut quos necesse sit expelli, nec suapte sponte exire: Hipp. nihilominus sequor, qui quodam in loco Τῶν γαστέρων (inquit) αἱ δύσφοροι παραχὴν φέρουσιν, οἷον ποσιδονίη, καὶ τὰ ὀνειῶν, οἷα σίτοι ποιέει. quib. uerbis nos monet, ut diligẽter cõsideremus qualia lũbrici generãt symptomata. quãdoquidẽ si citra aliqua symptomata egrediantur, bonũ portẽdũt. Sed & clarius

Lib. 9. cap. 39.

Lib. 6. de morbis uulgar. part. 7. aphor. 6.

Lib. prædictionū 2. aph. 18

alibi per hæc uerba. ἐπιπόλαιον δὲ καὶ ἕλμινθας σχολάζειν ἐξιέναι μετὰ τὴν διαχώρησιν πρὸς τὴν κρίσιν ἰούσης τῆς νούσου. ita ut per hoc intelligamus, si alio deijciantur tempore, ſymptomatis potius fieri ratione, quàm naturæ ui, & propterea uel corruptionem uel malignitatem indicare ueluti Paulus & Aetius diſtinxere.

## Lumbricos curandi methodus κατὰ τὴν διαιτητικήν. Cap. XX.

QVoniam autem lumbricorum curatiuam methodum rectè moliri non poßumus, niſi in quo uagantur, uenter rectè habeat: neque hic, niſi uniuerſum corpus: hoc uerò uictus ratio optimè diſponat: ea in primis eſt optimè inſtituẽda. ut ſine qua fruſtra intuenda reparandáq; ualetudine, tentantur auxilia. hæc enim tam præclara & ferè potior medicinæ pars eſt, ut admirabilis ille Cous, Celſus, Plinius, Galenus, & uetcres medici omnes nunquam illam ſatis laudare potuerunt. ea Aſclepiadi olim tanto fuit in præcio: ut φαρμακευτικὴν penè omnem ſuſtulerit: ad hanc ut ſeſe totum conuerteret. conſiſtit autem hoc non ſolum in quantitate qualitatéq; cibi ac potus, ſed & omnibus his, quæ uelimus nolimus, nobis occurrunt. ueluti ſomno atque uigilia, motu & quiete tum corporis totius, tum ſingularum partium abundantia & inanitione animiq; affectibus: præcipuè uerò in ambiente nos aere, qui non ſolum nobis extrinſecus ſemper adhæret: ſed in intima corporis noſtri penetralia,

per

per inſpirationem continuo adigitur. Quæ igitur ad ea quæ aſſumuntur attinct, ueluti ſatis per ſe nota non exequerer. nemo enim eſt, qui neſciat maligna prauiq; ſucci & uaria edulia, maloq; ordine ſumpta, cruditates & crapulas maximum corporibus noſtris & animis detrimentũ afferre: niſi quòd multa quæ aliis affectibus noxia ſunt, ciborum genera his utilia conſpicimus. Ea igitur, ueluti τὸ πάρεργον attingemus: ſi prius quæ Paulus ſcribit, ſubiungemus. Eſcæ patientium lumbricos ſint boni ſucci, quæ facili diducantur, atque ad membra tranſeant, nec cauſſam foueant, nec uires comminuant. quam ob rem uinum concedimus aquoſum, cibumq; crebro exhibebimus: tum propter id, tum etiam ne lumbrici morſus inferant. Si adſit uẽtris profluuium, indicio eſt multos gigni cibo non diſtributo, miſcendaq; eo caſu ſunt ſorbitionibus uel pyra uel cotonea. Iuuat mirandũ in modũ deuterius panis addito aneſo fæniculo, uel ſale ſubactus. uel qui συγκόμιστος nuncupatur: ita dictus, quod in eum συγκομίζεται ſimul furfur uentriculi & ſimilia. nominant autem eundem panem αὐτόπυρον, quoniam ὅλος αὐτὸς ὁ πυρὸς nulla ſui dempta parte in panificium cedit. oportet autem & triticum ipſum ex quo farina ſumitur, ex illis eſſe, quæ generoſa dicuntur. quædam enim ex his multum furfuris continent, quæ ignobilia nominant: quædam uerò ſiliginem, quæ ueluti diximus, generoſa uocant. Vinum autem quod aquoſum quidem eſt, cæterum leuiter adſtringit, idoneum cenſetur. Auiculæ item montanæ eſui dantur, & ſyluestris pullus columbaceus: ſenecio uiridis. ac hyrci barbula: ius ci Li. 4. c. 59

ceris atri, & brassicæ. capparis colymbadesq; commanducatæ: & cum synapi, modò febris non adsit, cætera sumant obsonia. acetosa item atque oleosa laudantur. Panicũ quoque quod mel frugum Diocles appellauit: durantissimum siquidem inter fruges existimatur. halyca insuper in myxorum decocto, & ptisana cum multo oleo omphacino. Lupini præterea, nasturcium, beta, menta, apium, raphanus: muria quoque commanducata iuuat. Pueris in potu ante omnem cibum myxorum decoctum admixta menta exhibendum lac summopere damnatur, ueluti pisces & legumina: & quicquid frigidæ crassæq; materiæ fuerit, ac seræ concoctionis. Panis uero non fermentatus lumbriculos gignit. (is enim nemini prorsus est accõmodus) & omnia humida, & quæ facile intus uitiantur. In omni autem lumbricorum genere abstinentia maximè prodest, qua eorum generatio prohibetur. at quum infestant, exiguo cibo, sed frequenti utendum: qui maximè conuenit quum laceraße desinunt. Qui uerò ascaridibus infestantur, cibis boni succi uti debeat, & qui facillimè concoquantur: ne scilicet illorum uires ad rectum intestinum pertingant. ex defectu nanque nutrimenti idonea pro eorum generatione materia consumitur. Hactenus qui assumuntur cibi ac potus.

Reliqua uerò quinque genera, quæ non usquequaque sunt manifesta, summa etiam cum breuitate pertractabimus, à somno exorsi. is breuis admodum non sit, nimis ve longus: nocturnus potius quàm diurnus, duabus quod minimum est, horis à cibo. Longa præterea ocia lædunt: exercitium prãdium præcedat. quies sequatur: nec quilibet mo-

tus exercitium putandus, sed ille tantum per quem respira tio permutatur: nisi forte sumpto aduersus lumbricos medi camento: tunc enim equitatione opus est, aut cursu, quibus corpus concutiatur. Siquidem facilius emittuntur aeri exercitatione, aut labore. hæc uero difficile à pueris ob= seruantur. Danda porrò est opera ut aluus bis eat: quod si non sponte fiat, molli balano, uel clysmate aliquo citanda ex ijs confecto, quæ in hisce affectibus ex usu esse solent. Animæ omnes affectus, quicunque sint, omnino sunt fugiē di. ueluti rixæ, iræ, tristitiæ maioresq; curæ & cogitatio nes: mœstitiæ timores, inuidiæ & id genus reliquæ pertur bationes, potissimumq; à cibo. Siquidem alterant, atque à naturali statu corpus auertunt. Frigora uitent, aquilo= nes, nec nudis ob ambulent pedibus. Aer uerò ut nos sem per ambit, ita eligi pro arbitrio nequit. est enim interdum præsidium, caussa interdum morbum uel faciens uel fo= uens, præsidium quidem certè in præsentia erit, si modi= cè calidus ac siccus fuerit, purusq; & clarus & tranquil= lus. morbum præcipuè fouebit, quando frigidus ualdè, uel humidus, & austro, uel aquilone commotus, uel nimio calo re uires dissoluens: qui tunc arte in hūc modum parabitur. Si in cubiculis ex iuniperi citri arboris ac persicæ mali= gnis ignis succendatur: alijsq; id genus lumbricis aduersan tibus. Suffimentis etiam adhibitis ex absynthij coma, per= sicæ arboris fōlijs, citrij mali cōrticibus, punicæ ar= boris radicibus, unà cum filicæ atque hedera. Illud uero in primis confert, quòd ex myrrha & aloe paratur. Aliud quod et animæ defectæ lumbricorū uitio succurrit.

Ambaris denarium pondo duum, moschi denarij pondo unius, gummi arabici denarium põdo quatuor: rosarum, santalorũ, caryophyllorum, cypiri, thuris singulorum denariũ pondo tantundem. Galiæ moschatæ quam uocant, denariũ pondo sex. agallochi in carbonem conuersi denarium pondo uiginti: carbonum è palmitibus uitis extinctorum quod satis est, roscaceo aceto excipiuntur.

## Catholica curandorum lumbricorum. Cap. XXI.

LVmbrici uehementioribus sæpe præsidijs adeò irritantur, ut ad conuulsiones, animi deliquia interitumq; pueros demum perducant. non igitur temere, neque utcumque sunt ea exhibenda. Quoniam uerò diuersis qualitatibus medicamẽta ad lumbricos uel necãdos uel educẽdos idonea creduntur: ideo in uniuersum excalfacientia, exiccantia, incidentia, acria, amara, salsa, acidaq;, atque attenuantia præsidia medentur. aut enim per acredinem occidendo, aut per amarorem subducendo, aut ad expulsionem imitando, aut per consequẽtem ad ea quæ exhibeatur lubricitatem efficacia cognoscuntur. extrahuntur autem simul, ut uerisimile est, per sorbitiones uias lubricas facientes: aut etiam per innominatam aliquam efficacem qualitatem. Sunt ex refrigerantibus quædam, quæ peculiariter lumbricos pellunt: quædam occulta quadam ui: ueluti ceruini cornu ramenta. Sed quæ lumbricos necant, in primis sunt exhibenda: quoniam quoad uiuunt, occasionem nocendi semper habeat. Siquidem difficulter pel-

luntur. & quum interfecti fuerint. protinus aluo per glãdes extrudendi: alioqui tetro uirulentoq; uapore cerebrũ afficiunt, & corpus pariter inflammant, appetitumq; & concoctionem oblædunt. Quoniam uero lumbrici plurimũ pueris obueniunt, qui difficulter tractari possunt: non retinendam censui miram (ueluti Paulus appellat) methodum, per quam & aloe pueris et sorbitiones per os iniiciuntur. instrumentum quoddam coquinarium, quod ζωμήρυσιν uocant, supinis ipsis detentis ori imponitur: & per clysteridion ualidum habens αὐλίσκον, inuitis aloe quanto magis fieri potest, intimius ore eorum distento impellitur. cuius meminit Pollux, non tamen quale sit, edocet. Cæterũ quicquid sit Zomerisis duo præcipue per ipsam cõsequimur, et quòd procliuis fit descensus, & quòd amaror deglutiendæ rei non persentitur. altero uero instrumento, quod clysteridion idem Paulus appellat, uiolenta fit impulsio. Concurrentibus autem simul natura & ui, uelocissimus fit motus, re graui inferiora petente, & ab eodem uehementißimẽ impulsa. Aliud quoque Paulus instrumentum describit, per quod liquores ano subiiciuntur multis peruium foraminibus, quales ab utero Metrenchytæ nuncupantur. Aetius uerò clarius his uerbis. Ad quam rem corneã fistulam undequaque perforatam apparare oportet, circa fundum amplam, ac loci magnitudine conuenientem: quam ultra adstrictiorem ani partem inditam cedria implemus: ita ut cedriæ immißio palàm tum per amplitudinem tum per transuersa undequaque contingat. Cæterum quando ignota nobis sunt hæc instrumenta: quum medicamenta ad

Li. 4. c. 59.

Li. 6. c. 7

Ibidem.

Li. 9. c. 41

lumbricos uel necandos uel educendos hauriuntur, pueri nares comprimito: oosq; subinde dulci aliquo colluito uel acriat epoto medicamento lumbricos necante, uentriculus acacia, hypocysthide ve cum uino fouendus est. Idem præstat & rhu obsoniorum, & anethum, & capparis in cibo. Quæ necant cum dulci commode dantur lacte aut melle, oxymelite ve, aut syropo quem uocant, acetoso. Quidam triduano potu pueros prius satiant, mox medicamenta exhibent. Infundunt & eadem dulcia, ut ea animalia ad inferna detrahant. Si uero uenter fluat, necesse est ut lumbrici tantum necentur: motus enim uentris eos deijcit. Quum uero appetentia fuerit oblæsa, cum aluo soluta: lumbricis tantum amaris sunt necandi, quæ stypsi quadam sunt prædita. ueluti inter calida absynthium, abrotonum, & centonicum: ex frigidis, malicorium, acacia, plantaginis succus, portulaca: atque eiuscemodi cætera.

## Simplicia medicamenta ad lumbricos omneis uel necandos uel educendos, ex Dioscoride, Celso, Plinio, Scribonio Largo, Oribasio, Galeno, Paulo, & Aetio. Cap. XXII.

EX calidis nasturcij semen omneis uentris lumbricos excutit contritum ex aceto, uel uino potum: efficacius addito mentastro: aluum tamen turbat. Lupini farina cũ melle delinctu, aut in posca potu: & cum taurino felle extrinsecus umbilico illita eosdem

abigit. ipsi quoque macerati, & sua cum amaritate esitati idem possunt. decoctum insuper ipsorum idem munus præstat cum ruta & pipere potum. Absynthium marinum per sese, aut cum oryza coctum interaneorum animalia addito melle pernecat: magisq; absynthio idem facit. Abrotonum id ipsum præstat, nimirum quum sit amarum. Item cardamomum eosdem interficit. Hysopi præterea decoctum epotum, aut eius herba cum melle delinctu. Ascarides & lumbricos cum sale & melle epota calumintha necat: nec secus cruda cocta ve si esitatur: uel si eius succus aut infundatur, aut potetur. Thymi præterea decoctũ, ueluti & ruta feruefacta ex oleo & pota eosdem exigit. Vinum item cedrites, & cedria ipsa. Omphacinum oleum, largius præsertim potum: nam & pro infantibus ad hos usus ita immaturum exprimitur. Oenanthino idem effectus, qui omphacino: contra enim uentris animalia laudatissimum est. Melimela præter quàm quòd uentrem molliunt, animalia expellunt. quod qua facultate præstent, dulcia quum sint, mellisq; sapore, à quo nomen sumpserunt, quæ potius eadem alere deberent: ex eo colligitur: q; fortasse deiectã hoc cibo aluũ ea ẽt sequantur: & quæ alioquin hæsissent, impetu excrementorũ, quasi in torrente pisces, qui largiore per æstatẽ imbre abundauerit, rapiuntur, ac deorsum feruntur. uentrẽ .n. ea mala mollire inquit Dioscorides. Brassicæ itẽ semen eius præsertim, quæ in Ægypto nascitur, potũ lũbricos omneis pellit: quãto ea sicilicet tẽpatura siccior est, et magis agrestis. Idẽ facit cicinũ oleũ epotũ. Myrrha ẽt sua amaritate tũ necat, tum eijcit. Li. 1. cap. proprio.

Hellenij decoctum. Scylla ex aceto & melle sumpta: prius tamen assata sit, oportet: alioquin interaneis maximè noxia censetur. Dant & ad omneis in aceto mulso radicis corticem capparis. Heliotropij parui herbam suo cum semine potam adiecto nitro hyssopo, nasturcio & aqua latas teretesq; tænias excutere Dioscorides scripsit. Paulus uerò pro nasturcio, nisi uitium in eo sit, cardamomum connumerat. Erucæ semen ex uino corpori innascentes bestiolas omneis arcet. Terreni uermes septem aut quinque è passo poti lumbricorum genus omne depellunt. Amygdalæ amaræ, oleumq; prodest. Agaricus cum melle, sed molestè purgat. est enim ob lenitatem ac fluctionem, quam facit, stomacho noxius. Styrax cum terebinthina resina deuoratus. Aloe ex frigida aut lacte potá. eadem si decocto melli admixta bibatur, sine molestia educit. Tithymali semen eiusq; succus circa guttulas quinque cum caricis aut palmulis mixtus. Viticis folia, polypodium, chamepithis, centaurium minus ex aceto tritum & epotum. Item eiusdem radicis pondus denarij unius cum cyathis tribus uini potum iuuat. Marrubium cum absynthio & lupino pari pondere in aqua mulsa coctum, & cum uino bis aut ter umbilico appositum omnia uentris animalia perne cat. Costus ob amaritatem qua illi inest, lumbricos pellit ex aqua. Dioscorides uerò latas uentris tænias tantum pellere ex aqua & melle scriptum reliquit. quem locum interprætatus Marcellus uerbum illud, & melle, ueluti suppositititium expunxit hac ratione: quod contrarium nec respondere lumbricorum curationi uideretur. excitantur

Li.4.c.1.
Li.7.c.1.
Li.1.cap. proprio.

enim, inquit, & aluntur dulcibus, non pelluntur lumbrici uentris. nisi forte mel ideo addi oporteret, ut suauitate eius decepti lumbrici admixtum costum utpote amarum, copiosius haurirent: non aliter quam in curandis pueris fit, quibus amaræ potiones aut uirosæ dulci sapore, & iocundo aliquo odoramento circumlitæ porriguntur, in qua re ueluti in Scyrpo nodum quærere uidetur (ut in comœdia legitur:) à quo tamen alienum omnino esse testatur. siue enim in Dioscoridis contextu nullis uox legatur, siue non legatur: (siquidem id pro comperto nondum mihi est, nec Ruellius apposuit.) sat est amara medicamenta, qualia sunt costus & id genus reliqua, semper ferè Dioscoridem, Plinium, Galenum, & alios lumbricis curandis cum dulcibus, potissimumq; melle, mulsa ve, aut oxymelite, eadē qua Marcellus inquit, ratione commiscere. quam Paulus his uerbis addidit. Quoniam uerò nonnulli subinde amaras potiones ueluti ingratas respuunt: ex ijs, quæ modo comprehensa sunt, dabuntur non manifestò amara. id est aliquo dulci commixta. ueluti supra Paulo ipse dicebat. omnia hæc medicamenta cum melle oxymelite ve esse propinanda. siue (ut inquit Lucretius) ut improuida illa ætas ludificetur, uel potius, ut tali à gustu recreata uelleſcat. pueri enim quū plurimum lumbricis obnoxij sunt. Nihil igitur obstat quin mellis uox addi debeat, Marcello præsertim ipso in antiquis quibusdā exemplaribus legi attestāte. Cantharis similiter leuigata & cum bryoniæ radice pota lumbricos educit Galeno authore. Li. 4. c. 57

Lib. de cōpōne Theriaces ad Pisonem.

Ex frigidis succus auriculæ muris cum zytho singulo

rum cyathus unus. Senecio comestus plantaginis succus in aluo præsertim soluta de cochleari uel de ligula datus potui, ipsaq; herba tusa umbilico apposita. Coriandri semen cum mali punici succo & oleo animalia interaneorum pellit, uel cum passo potum calida item beta cocta, atq; cum allio crudo sumpta, nitrosa, qua prædita est, facultate eosdem educit: noxij tamen succi est. Punicum malum contusum ex tribus uini heminis decoctum ad heminam lumbricos pellit, ac tormina. eius etiam radicis succus uictoriati pondere eosdem necat. Idem rhus facit Syriacus, atque attriplicis semen. Addunt Neoterici experimento constare dormituris acetum acerrimum epotum lumbricos educere. Inter ea uero quæ plurimum ualent, est corallina nuncupata, quæ trita ac melli oxymelitéve commixta, mulsáve pota mirandum in modum lumbricos uel necat, uel seminecatos educit. hæc uerò à corallij similitudine dum taxat in aqua est, nomen accipiens: & quæ à sexaginta ferè annis hactenus ad ejiciendos è uentre lumbricos magni usus esse cæpit. à Dioscoride, & Galeno (ni fallor) βρύον θαλλιον dicta: cui si ijdem peculiarem aduersus lumbricos facultatem non attribuerunt, qualem in corallina quam uocant, conspicimus: non propterea putarim aliud esse Dioscoridis & Galeni βρύον ab hac nostra corallina. Siquidem simplicium medicamentorum singulas uires ueteres non cognouerunt. uera etenim cuiusque natura non nisi medico effectu prænosci potest: opus ingens occultumq; diuinitatis, & quo nullum reperiri maius posit. plurima etiã inuenuntur hodie, quæ apud maiores nostros non fuere

Lib. 4. ca. proprio. Lib. 6. de simpli. med. c. proprio.

inuenta. nec mirum: quando eas agrestes literarumq; prorsus ignari experiuntur: utpotè qui inter illas soli uiuant. præterea securitas quærendi obuia medicorum turba. multis etiam inuentis nomina desunt. accedit ratio inuentionis anceps: quippe etiam in repertis alias inuenit casus, alias (ut inquit Plinius) Deus. turpissima uerò caussa raritatis, quod etiam qui sciunt, demonstrare nolunt: tanquam ipsis periturum sit, quod tradiderint alijs. Inuidi quidem certè perinde atque illi, qui aut supprimunt ueterum monumenta, aut omnino demoliuntur: quod quidem eo committunt, ut quæ in eis scripta sunt, sibi ea attribuant: aut si præclari quid tradiderint, qui alienas opiniones scripserunt, id ut pereat. Si qui uerò sint, qui fieri non posse contendant, ut eos latuerit uim hanc lumbricos educendi musco inesse márino: ijs responsum uelim Priscos simplicium medicamentorum uires, quascunque nouerunt, scriptis non mandasse. Si quidem multa Socratis ac Pithagoræ placita sciuntur, quæ tamen ex corum libris, quos nullos scripsere, non habentur. Plato etiam quum tot reliquerit libros, præter tamen literis prodita, alia etiam hominis placita autumant eius discipuli, quæ non retulit in scripta. Nec illud βρύον ubicumque natum, (ueluti ferunt) æqualem habent in hoc facultatem: Sed certis quibusdam Italiæ locis hoc expiscantur pharmacopolæ, quod sub corallinæ nomine uenditant. Sed hoc satis illud potius perscrutandum, quum corallina salsum obtineat saporem: cur Dioscorides

Lib. nat. hist. 25. cap. 2.

Aristot. 4 de natural. principiis libro. t. 15.

Lib.nat. hist.31. cap.6. Plinius, Galenus, & alij refrigerãdi uim illi tribuunt: quã do notum est omnia salsa calida esse ac terrea: amaris haud dissimilia quæ calida sunt. An quòd marina aqua salsa quum sit, plurimum tamen habet in se potabilis aquæ? quod & ab Aristotele fuit olim satis demonstratum: per quam minus calida existit? An etiam quòd multum terræ in se continet: atque ob id siccior est ac spissior? Quæ uero in mari proueniunt, eiusdem cum ipso facultatis esse necesse est. Ex eo igitur quòd muscus marinus in mare prouenit, spissandi uim illi tribuunt Dioscorides & alij: qua uero multum in se continet aquæ potui idoneæ, & qua terræ facultatis est, ea refrigerat. omneis demum quos lumbrici male habent, Ichneumonis pili, (murem indicum uocant) au
Li.4.c.59 thore Paulo suffiti iuuant.

*Quæ teretes seorsum lumbricos, latos seorsum, ascarides seorsum occidunt, & eijciunt simplicia medicamenta.* Cap. XXIII.

TEretes uentris lumbricos sedi succus in uino potus è uentre pellit. Absinthites uinum epotum idem munus præstat. Heliotropij maioris herba suo cum semine pota addito nitro hyssopo nasturcio & aqua eosdem eijcit. Filicis fœminæ radix cum uino drachmis tribus epota teretes latasq; uentris tænias excu
Lib.3.ca. proprio. tit: ueluti Ruellius Marcellusq; Dioscoridem interpretati unà contendunt. Galenus uerò non teretes, sed ascarides unà cum latis interficere eandem scripsit. ita nanq; li-

bro Therapeuticæ methodi decimo quarto ait. At teretes quidem absynthium interimere potest: latæ uehementiora præsidia poscunt, quale filix est: adhuc autem & quæ ἀσπαρὶς græcè dicitur. in hanc sententiam Theophrastus uenit: qui filicem fœminam utilem ait contra interaneorum animalia lata melle subactam, & contra tenuia in uino dulci. ita nanque græcè loquitur. ἡ δὲ θελυπτερὶς χρήσιμον πρὸς τὰς ἕλμινθας, τάς τε πλατείας καὶ τὰς λεπτὰς. πρὸς μὲν τὰς πλατείας αὐαδεύομεν μέλιτι, πρὸς δὲ τὰς λεπτὰς σὺν οἴνῳ γλυκεῖ. constat uero ascarides tenues & esse & dici lumbricos. Præterea Galenus libro de simplicium medicamentorum facultatibus octauo, similem huic fœminæ uim tribuit, qualem mascula sortita est. illam uerò latas tantummodo tænias interficere & non teretes scribit. Plinius ad hæc utranque tam scilicet marem quàm fœminam intestinorum animalia pellere, ex ijs tænias cum melle: cætera in uino dulci: triduò pota: nec teretes nec ascarides excludens. Galenus uerò uno in loco & teretes & ascarides excludit: alibi uero ascarides unà cum latis interficere scribit. Quid igitur in tanta authorum uarietate sententiarum dicendum? An quòd filix fœmina omnia intestinorum animalia eijcit? (similem enim facultatem masculæ ei tradit Galenus:) potissimum uerò latas tænias, secundo ab hoc loco ascarides: quæ quum ima insideant aluo, ualidius præsidium, quale filix est, exposcunt: ut eius uis illuc usque perueniat. quum uero latas, & ascarides, de quibus minus uidetur, eijciat, pellatq;: quum alteræ tota complectantur intestina, alteræ longissimè absint à

Lib. de plantarū hist. 9. cap. 20.

Cap. proprio.

Lib. nat. hist. 27. cap. 9.

*uentriculo: facilius multo teretes, qui in superioribus decumbunt intestinis, occidet. Non igitur Galenus secum pugnabit: quando satis sibi esse debet, ut latas pernecet: quas si interimit, facilius ascarides, facillimè omnium teretes excutere possit. Plinius uerò, ut qui optimè id nosset: cætera id est & teretes & ascarides pellere ait.*

Li.7.c.58 *Quod autem ita sit, liquet ex Paulo; qui in curatiua methodo quum latorum, tum teretum lumbricorum, filicis meminit: quam tamen proprie latos excutere omnes unà*

16.tertii tr.5.c.4. *conuenere. Idipsum Auicennas clarissimè ostendit his uerbis. Et medicinæ quæ interficiunt ascarides, ualidiores sunt eis, quæ interficiunt longos, & quæ ascarides & rotundos occidunt, longos etiam interficiunt. Gith seu melanthium non solum comestum, sed & cataplasmatum uentri extrinsecus, uel peruncto ex aqua umbilico eosdem educit. quo loco aduertendus est Marcellus, qui latos lumbri-*

Li.4.Dio scor.cap. proprio. Lib.de simplic. med.7.c. proprio. Cap. proprio. Li.4.c.57 Li.9.c.39 *cos pellere non teretes, cõtra quàm Ruellius est interpretatus. quod an recte à Marcello factum fuerit, aliorum sit iudicium. illud constat Galenum Ruellio suffragari, qui lumbricos tantum interimere scriptum reliquit. quod uero lumbrici teretes tantum significent quum plurimum, supra dictum fuit. Ruellio Paulus uni & Actius suffragantur: qui in teretum curatiua methodo sæpè melanthij commeminere: in latarum tæniarum curatione nunquam. Sandonicum per sese aut cum oryza coctum eosdẽ addito mel le pernecat. Contritum urticæ semen braßicæ ue aut cumini cum aqua, uel mentha cum eadem: uel hyssopus cum aqua mulsa: uel nasturcij semen cũ aceto contritum eosdẽ*

necat. ex Celso Oribasius. Calamintham, cardamomum lupinum pulueremq; ex ijs factum in potu aut cum melle in electario, aut in posca potui datum sufficientia ad occidendum teretes lumbricos scripsit. Persicæ item mali fōlia ac germina contrita superq; umbilicum apposita idē possunt: ueluti & menta epoto ex aceto succo. Portulaca percocta fereos succus aut myxorum decoctum, mixáve ipsa cocta atque esitata idonea sunt. cornu præterea ceruini cinis ad eosdem efficax quàm maximè creditur: eius præsertim (ut inquit Solinus) q, dextra ceruini capitis parte enatum est. Hoc uero pacto uritur. contusum ceruinum cornu crudo fictili luto circūlito, & in furnum indito uritur, donec albescat. Scribonius uerò largus hoc pacto ipsum exhibet. Cornu inquit ceruinū limatū lima lignaria quantū quatuor uel quinque cochlearia ex aquæ mixorum coctorū cyathis tribus pridie maceratum, deinde tritum & datum aqua exigua adiecta. Bouis talus ustus cum lacte potus lumbricos teretes educit. Galeno authore. Latas aūt uentris tænias coctus ex aqua pellit. cardamomum, allium esitatum, filicis fœminæ fōlia cū melle in eclegmate sumpta: masculæ uerò radix easdē excutit sumpta drachmis tribus ex aqua mulsa: melius si cum scammonij aut ueratri nigri totidē obolis detur. Chamæleonis item albæ radix acetabuli mēsura epota: in quem usum bibitur cum uino austero & origani decocto. Nuces iuglandes largius esitatæ. radicis mori cortex decoctus in aqua & potus, præter quā q, aluū resoluit, latas etiam tænias excutit. radicū præterea punicæ decoctū easdē pellit & enecat. Idē pōt et malicorij decoctū epotū.

Li. 4. c. 17 Lib ad Eunapiū filium.

Cap. 141

Lib. de cōpōne Theriaces ad Pisonem.

Anchuſæ radix acetabuli menſura cum hyſopo & cardamomo epota eaſdem pellit. Ruellius Dioſcoridis interpres Paulum ſequutus uidetur: qui cum hyſopo & cardamomo, Marcellus cum hyſopo et naſturcio potam latas pellere tænias dicunt. id quod ſuperius de heliotropio dictum fuit. Galenum hoc loco ſequutus uidetur Marcellus, qui oxybaphi menſura ad eaſdem idoneam eſſe cum hyſopo et naſturcio potam ſcribit. Aſcarides uerò cedria pernecat, & calamintha iniecto per clyſterem eius ſacco, aut epoto. Abſynthij decoctum oleo admixto per clyſterẽ iniectum. minoris item centaurij decoctum cum nitro ac melle idem munus præſtat: aut cucurbitæ ſylueſtris, cinici ve ſi prius acri muria rectum inteſtinum uacuatum fuerit. Filicis fœminæ radix cum uino tribus drachmis triduò pota aſcarides excutit. Axungia quoq; uetus ano immiſſa quàm maxime prodeſt.

Lib. 6. de ſimpli. med. c. propio.

## Teretum lumbricorum curatiua methodus ex Paulo præcipuè & Aetio. Cap. XXIIII.

Febres plurimum comitari teretes lumbricos, quum Paulus & Aetius teſtantur: tum quotidiana nos docet experientia. Quum igitur febris affuerit, interdum febris & lumbricorum curam habere conuenit: interdum parum de febre ſolliciti, lumbricos é uentre eximere connitemur. plærique enim negligentes ab ipſis comeſti conuulſi interiere. nec deſunt qui per inguina exeuntes uidiſſe teſtantur. Cæterum ociſos hos

omneis

omneis prius educemus: occidemus autem amaris usi potis-
simum medicamentis. Quum ergo febris ac lumbricorum
communis sit curatio, simpliciora conuenient præsidia: ue-
luti ubi ambigua est affectio mitioribus est utendum. Si-
quidem acrioribus auxilijs febris exacuitur, si falsam cæpe
rimus suspitionem. stabili uerò dignotione existente, tem-
poribus morbi attendendum. Circa enim primos dies, mul
toq; magis, si iuxta uigorem totius morbi apparuerint,
acrioribus insistendum remediis. eos uerò, qui declinante
morbo appareat, mitius curabimus: atque eo magis, si uisce
rum inflammationes ac tensiones affuerint. ueluti rectè
Hippocrates in acutis, inquit, morbis raro, & in princi- Lib. aph.
piis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatio 1. aph. 24
ne faciendum. hi nanque plurimum turgent & agitantur:
ueluti sæpissimè uisum est: ideoq; circa eorum initia morbo
rum utiliter contingit acrioribus uti. illud uerò multa cum
cautione ac præmeditatione faciendum. ut prius scilicet dili
genter examinemus, an æger illa possit ferre præsidia: &
an rectè paratus ad eadem sit suscipienda: atque rectum ne
iudicium ex eorum exhibitione expectare ualeamus. neque
enim periculum minimum in acuto morbo, qualis est lum-
bricorum affectus, uti acrioribus medicamentis: quum id ge
nus omnia sint potentia calida. His igitur, qui phlegmonas Ad phle-
ac tensiones patiuntur, cataplasmata exhibeantur ex lini se gmonas
mine, crassiore lupini farina pari mensura commixta. uel & tensio-
etiam humida fomenta ex oleo chamæmelino, uino absyn- nes.
thij coma, & aloe præcordijs accommodentur. ubi uerò
modicæ febres molestant, pueris ante omnem cibum my-

xorum decoctum potui dabitur: uel ipsa myxa esui cum mẽ
ta offerentur. Hæc enim lumbricis affectos maximè iuuant
uel (ut inquit Serapion) quòd illi dulcedini hærent, uel q̃
præ lentore ab eis auelli nõ possunt, fit ut cum illis exeãt.
uiscosa enim adeò sunt myxa, ut ex ipsis in Syria (ueluti
Viscum damascenũ quũ paratur. aiunt) probatißimum id uiscum paretur, quod Damasce=
num uocant: Ex hoc igitur quod suo lentore lũbricos dei=
ciunt: si uentriculum infestant, superne exhibenda myxa
sunt: si uerò in uentre atque intestinis fuerint, per infer=
na iniiciemus. Eis uero, qui ad integram ætatem peruene
runt, efficaciora quoque præsidia optima sunt: qualia ab=
synthii aut abrotoni cremor, uel mali punicæ acidæ radicis
uis ad tertias redactum. Dantur & terni aloes lotæ scru=
puli: quod remedium laudatißimum existit. in ualidiori=
bus illota quoque aloe utimur. utrisque uerò, etiam si fe=
bricitant, & si trimestres tantum infantes sint, uermes
terreni cum epsemate (sapam dicunt) confidenter exhi=
beantur. Si uerò sapam non admittunt, cum hydromelite,
aut ut lubet, præbeto: nihil ueritus, neq; utilitate contem=
pta, quinque uel septem dato. Quod si nuda sit suspicio,
sed certa lumbricorum deprehensio, & curatio propria
eis conuenit: tũc cataplasmata ex lupinorum farina in mul
sa decocta imponenda: quibus aliquando etiam bryoniæ ra
dix adiicienda. Vmbilicus interim taurina bile repleatur
aut melanthio cum lacte muliebri contrito: aut absynthio,
aut abrotono, aut bryonia pinguibus caricis admixtis.
Spina uerò uniuersa ex medulla ceruina peruagatur. Su=
perior interim uenter cærato integatur ex absynthio

oleoq; cyprino apparato. Aluo etiam adstrictæ glans immittenda, præsertim pueris: quæ si nihil profecerit, clyster adhibendus morbi uigore remittente, ex absynthii, aut abrotoni, aut centauru decocto cum melle ac nitro. Subducere uerò conabimur eos per sorbitiones, uias lubricas facientes, quales sunt oleum omphacinum: cuius paulatim duo cochlearia absorbeantur. qua enim amarum est, lumbricos necat: qua lubricum detrahens ipsos cum stercore reddit. Præpotationes uerò ex oleo semper augebimus: multæ nanque commoditates existunt. Prodeunt autem lumbrici quidam adhuc uiui uerum uertigine affecti: ac si ita dicere lubeat, semineeati, plurimi uerò mortui unà cum stercore euacuantur. Nascuntur uerò & in alui profluuio lumbrici: eos, fluorem inspissando, & concoctionem tum per cibos, tum per cataplasmata in melius permutando, curare oportet. quantum enim fluor inualescit, tantum & lumbricorum augetur generatio: uicissimq; fluore cessante lumbrici interquiescunt. quare diligenter conabimur, ut aluus adstringatur, firmitasq; ei adiiciatur. Coniicienda itaque in cataplasmata alias ad fluxiones sistendas idonea ea, quæ ad lumbricos ualere dicta sunt, & quæ fluores non committunt: ueluti est absynthium, abrotonum sandonicum: item malicoriũ acacia, hypocysthis balaustia, et eiuscemodi reliqua cũ cruda hordeacea farina. Cærata quoque imponenda ex his parentur. utẽdũ ẽt sorbitionibus, inter quas reliquis omnibus plantaginis succus præfertur, ipsaq; arida plantago: ex æquo. n. utriq; fluori

Si cum aluo adstricta lũbrici sint infesti.

Si cum aluo fluore lumbrici infesti sint.

inquam, & lumbricis efficax est. mali præterea punici uinum suo cum cortice expressum mirandum iuuat in modũ.

Ad nauseas ex lumbricis ortas.

Ad nauseas uerò ex lumbricis oborta, stomachiq; morsus salis mica in ore detenta deglutitaq; liquefacta mirifice prodest. acredo enim, ut apparet, eos statim infrà subsistere cogit. Si uero ab ijsdem caussis singultus infestat, catapocia succurrunt, quæ habet succum hastulæ regiæ, absynthij santonici, sisymbrij, scordij singulorum denarium pondo quatuor, coquuntur ad mellis crassitudinem: dein aloes pollinis denarium pondo quinquaginta additur: omniaq; in catapocia excipiuntur. quorum denarij pondus deuoratus. hæc enim singultum sedant, lumbricosq; interficiunt. At si ex febre, uel lumbricorum tetris uaporibus, fumidisve medicaminibus, qualia plurimum sunt, quæ aduersum ipsos exhibentur, caput petunt, ita ut cum dolore maximopere afficiatur: tunc synciput cum fronte ac temporibus rosaceo efficacissime illinitur: uel acaciæ succo, uel hipocysthidis admixto. Alij fermentum cum croci momento & aceto imponunt illitis his ipsis partibus. nam somno intempestiuo & cæteris peruersis affectibus medetur.

Ad singultus à lumbricis factos.

Ad capitis dolores ab eadẽ causa factos.

## Composita ad lumbricos necandos & educendos medicamẽta. Cap. XXV.

INter eos uerò quos uocant syropos, qui ex absynthio, uel calamintha, uel marrubio fiunt, comedantur. uel alius hoc modo faciendus. succimentæ, helenij radicis, absynthij, rutæq; purgati enim tolli

tur abiecto sedimento singulorum hæminæ pondo semissis. Succi sereos & graminis cuiusque cyathi pondo septem: in ijs ceruinum cornu torrefactum rhus portulacæ semen ac balaustia infunduntur: & percolato decocto sacchare uel attico melle purissimo excipiuntur. Alius. Abroto ni calaminthæ denarium pondo octo: mentastri, radicis he lenij recentis denarium pondo sex: ex aqua ad tertias dis= coquito. datur id decocti cum syropo absynthite, uel oxyme lite scyllino. Absynthites item uinum ad hos usus ma= xime cõmendatur. uarie autem conficitur. nonnulli enim in musti metretam, celticæ nardi drachmas quatuordecim, & absynthij drachmas quadraginta illigatas linteo demit= tunt: & post quadraginta dies transfundunt. Alij ue ro in uiginti sextarios musti libram absynthij coniiciunt, & piceæ resinæ sextantem: postq; dies decem uinum co= lo diffusum recondunt. Syropus ad lumbricos cum fe= bre ac symptomatibus. Radicum graminis denarium pondo sexdecim, seminis portulacæ, acidæ lapathi utriusq; que denarium pondo octo: myxaria decem: coquuntur ad tertias. his adduntur succi mali punici ac medici, uini ue omphacini singulorum cyathi pondo unius ac semissis. suc ci cicorii hortensis tantũdem: saccharis præcioris quoad sit satis: ut syropum componito. huius semissem infanti= bus, pueris integram unciam innoxiè exhibebis. Zula= pium, quod lumbricis affectis succurrit. Dictamni cre tensis, gẽtianæ, zaduræ, costi arabici denarii pondo unius: seminum brassicæ anethi, sandonici portulacæ singulorum tantumdem, aquarum mentæ absynthii graminis singula=

Actuarius lib. de cõpõne medic. c. de liquoribus medicatis. & Dios. lib. 5. ca. proprio.

*Dios. siccæ pini resinæ habet.

*rum pondo heminã: feruefacito ad tertias, et percolato: his addito ſaccharis puriſſimi denarium pondo uiginti.* At in *febre.* Radicis *graminis ſiliginis hordei ſingulorũ denariũ pondo quindecim, ex aqua decoctum datur larga potione.* Aliud *efficaciſſimum pariter, ac ſuaue.* Aquæ *ſtillaticiæ oxalidis, roſaceæ graminis, intybi hortenſis bugloſſi ſucci pũici mali ſingulorũ põdo heminã: ſeminũ portulacæ attri plicis rhois citri mali, ſingulorum denarium pondo trium: ſeminum coriandri myrthi baccarum ſylueſtris apii ſingulorũ denarium pondo duum: ſeminũ acidæ lapathi braſſicæ cumini ſingulorum pondo tantũdem: roſarum rubrarũ, heptaphylli, quam tormentillam uocant, oxyacanthæ, berberim dicunt, ſingulorũ denariũ pondo duorũ: balauſtii denarium pondo tantundem: cornu ceruini cineris denarium põdo quinque: dictamni albi cretenſis denarium pondo octo: corticum è radice mori delibratorum, radicum filicis ſingulorum denarium pondo duũ.* Myxa *decem numero: corallio rum rubrorũ denarii pondo unius, ſaccharis puriſſimi quã tum fuerit ſatis ut* Zulapion *conficito.* Quod *uerò omnium quæ diximus, præſens remedium exiſtit: id eſt quod uulgo ab officinis* Diaturpethe *nuncupatur, cum rheo potiſſimum barbarico à drachmis tribus inde deuoratũ. quod quum diutino experimento comprobatum fuerit, rationem etiam habet ampliſſimam, ut cunctis aliis medicamẽtis præponatur. dulcedine nanque antidothi illecti pueri, libenter deuorant: rheo uero barbarico lumbrici occidunt, ac membra roborantur.* Turpethe *uerò illorum ſedes expellitur. reliqua uerò non ſolum gratiam præſtant, ſed & innoxiũ*

Ex antidothario quod uocant Bartholomæi Mõtagnanæ.

reddunt, ita fit, ut iucundissimum, innoxium, ualidissimumq; unà existat. conficiunt uerò hoc pacto. Santalorum alborum, ac rubrorum, uiolarum zinziberis singulorũ denarium pondo duum: anesi, cinamomi, croci, mastiches, chiæ singulorum denarij põdo unius: myrthithæ, quã officinæ Turpethen uocant, denarium põdo octo: rhei barbarici denarium pondo decem: scamonii de more parati denarium pondo quatuor, saccharis purissimi denarium pondo centum nonaginta: quo cum omnia excipiuntur, orbiculiq; fiunt τροχίσκους græci ab efformationis figura uocant, quorum quisque drachmas treis pendat. ubi usus necessitas fuerit, alter deuorabitur ad commemoratum affectum. Alia anthidothus. Rhei barbarici, croci, scammonii, sandonici dictamni cretensis singulorum denariũ põdo duorum: saccharis delecti denarium pondo octoginta: aqua graminis excipiuntur, pastilliq; finguntur. huius denarii pondus innoxiè exhibetur infantibus aqua graminis dissolutum. Puluis quo utor. Efficax est & puluisculus ita paratus. Rhei barbarici, agarici, scordii singulorum denarium pondo duorum: muschi marini denariũ põdo quatuor: sandonici seminis ac portulacæ singulorum denariũ pondo duũ: aloes illotæ denariũ pondo sex. hic scrupuli pondere uel obolorum duum uino exceptus pueris innoxiè exhibetur. Interdum & hæc omnia tusa cribrataq;, & cum absynthii mentæ ve succo in catapocia finguntur, deglutiendaq; præbentur. quorum tria desumi possunt. Alius ad idem alterius authoris. Cornu ceruini usti, centaurii minoris, mentæ, pulegii, sisymbrii, absynthii,

ſandonici, ſcordii, lupinorum ſingulorum denarium pondo quatuor. omnia in tenuiſsimum pollinem redigito: & cum lacte, aceto, aut oxymelite, aut utcunque utitor.

Alius neotericorum expertus.

Rhei barbarici, coriandri, ſeminum ocymi, arnogloſsi, ſydiæ, careos, rhois ſingulorum denarium pondo duum. Seminis attractylidis, quam cardum benedictam uocant, cornu ceruini ramentorum atque eboris ſingulorum denarium pondo octò: corticum è radice mori delibratorum, ſeminum braſsicæ, citrii mali, corticum ſalicis ſingulorum denarium pondo ſex: ſeminum portulacæ, dictamni cretenſis denarium pondo quatuor: unionum, coralliorum, rubrorum, ſingulorum denarium pondo duorum. arida leuigantur. huius integra drachma uel duæ cum uino hyeme uèl non febricitantibus: cum oxycrato æſtate uel febricitantibus innoxiè dabitur.

Antidothus lumbricos interficiens, febrem comminuẽs & quæ cardiacis ſubuenit. Seminum ſandonici, muſci marini, ſeminis apii ſyluestris, cornu ceruini deuſti ad albedinem uſque ſingulorum pondo aquas portiones. omnia triduo in aceto infundito, in quo hæc prius ferueant. ſeminũ portulacæ oxalydos, rhois, coriandri, braſsicæ ac myrrhæ parum: dein ſiccãtur, iiſq; adduntur, ſeminum malorum aureorum partes duæ, citrii mali pars una: ſaccharo uino punici mali diſſoluto omnia excipiuntur, paſtilliq; fingũtur: quibus nonnihil cinamomi & moſchi nuncupati addi poteſt.

## Cataplasmata cærata & perfusiones ad eosdem ex antiquis neothericisq; authoribus. Cap. XXVI.

QVoniam uerò sæpissime extrinsecus adhibita medicamenta lumbricorum curationi plurimũ contulisse usum fuit: consentaneum rationi uidetur, ut eorum compositionem subscribamus. his enim nõ solum corpora tuemur: uerum & lumbricos neci tradimus, enecatosq; depellimus. Illud igitur satis faciet, quod habet. Lupinorum farinæ, centaurii minoris, foliorum mali persicæ ac prassii cum aceti posca contrita ac uẽtri imposita. Aliud. Experimento neotericorum constat centaurium minus oleo è nucleis persici mali feruefactum, umbilicoq; illitum lumbricos pelli & educi. Aliud. Hordeaceum panem torrefacito, & aceto infundito, mox exprimito: & in foliorum persicæ mali succo rursus infundito: calidum cum linteolo uentri imponito. Alii farinam lupinorum abrotonum ac taurinum fel admiscent. Aliter. Lupinorum farinæ, centaurii minoris singulorum denarium pondo quatuor: aloes, taurinæ bilis cuiusque obolos quatuor: cum absynthii succo excepta imponuntur infantibus. Alii. Absynthii, melanthii cornu ceruini cineris singulorum pares portiones melli commiscentur ac illinuntur. Aliud. Ventriculo benefaciens, lumbricos interficiens: & ad alui fluorem idoneum. Absynthii mentæ, rosarum, sandonici, lupinorum farinæ singulorum denarium pondo octo: panis

torrefacti acetoq; acerrimo infusi denariũ pondo quatuor: fellis taurini denarium pondo uigintiquatuor: aloes denarium pondo quatuor, cornu ceruini usti ramentorum denarium pondo sexdecim: nardi montani, machyros, galiæ, quam uocant moscatæ, caryophyllorum, calami odorati, nucis myristicæ, galangæ, careos singulorum denarium pondo duodecim: hypocysthidis, acaciæ, rhois cuiusque denarium pondo quatuor: oleo myrtheo, menthæ succo ac cæra quoad fuerit satis excipiuntur. Si febris non adsit, umbilicus ac fœmen cum melle utiliter illinitur. in calido affectu cum lacte, mox aloes pollen superspargitur: miro siquidem modo lumbricos interficit. utiliter etiam inuaguntur nares theriaca ex aceto.

Cæratum ad lumbricos ex Paulo.

Aloes absynthii lupinorum farinæ, seryphi melanthii singulorum scrupuli sex: cæræ uncia & semißis, chamæmelini olei quod satis est, felle taurino arida leuigantur.

Lib. 9. cap. 39. Aliud ex Aetio. Lupinorum farinæ absynthii farinæ hordeaceæ tenuißimæ cuiusque denarium pondo septem: taurini fellis denarium pondo octo: scobis cornu ceruini denarium pondo quatuor: cæræ denarium pondo uiginti sex: olei deuterii denarium pondo duodecim. Aliud expertum. Aloes semißis croci oboli duo: succi citrii mali drachmæ totidem uino albo & odoro excepta cordi applicantur. Aliud expertum. Taurinæ bilis denarium pondo triginta, thuris delecti denarium pondo centum uiginti octo: aquæ ardentis ut uocant, heminas duas: omnia chymicorum more stillato: & uitreo uase subere ac cæra

operto adſeruato quod emanat quumq; res exigit, utitor.

Aliud efficaciſſimũ lumbricos interficiens et eijciens. Abſynthii, gentianæ, minoris centaurii, corticum è radice mori delibratorum, lauri baccarum demptis nucleis, corticum radicis punicæ arboris, radicis fraxini delibratæ ſingulorum denarium pondo ſexdecim. ſampſuci denarium pondo quatuordecim: abrotoni, aloes, myrrhæ, agarici ſingulorum denarium pondo duodecim: dictamni cretenſis, ſcordii, ſabinæ ſingulorum denarium pondo octo, polii mõtani, radicum graminis ſingulorum denarium pondo decẽ. Stæchadis, chamædrydis, chamæpithios, ſeminis citrii mali ſingulorum denarium pondo ſex: cornu ceruini cineris, ſandonici denarium pondo quatuor: colocynthidis ſeminis denarium pondo duum: fellis taurini denarium pondo uiginti quatuor: aceti acerrimi heminam, ac cyathos treis: olei omphacini amari congium, ac heminas ſex: in tenuiſſimum pollinem arida leuigantur, diebusq; decem unà commiſcentur: die undecima duplici in uaſe ferueant, quo acetum uſque abſumatur: his refrigeratis additur olei laurini hemina, amygdalarum amararum, nucleorum perſici mali ſingulorum tuſorũ denariũ pondo uigintiquatuor. hæc omnia in modũ prædictũ uitreo in uaſe abſcondita ſtillãtur. Aliud ẽt præſtãtiſſimũ et expertũ. Perſici mali nucleorũ, allii, uermiũ terreſtriũ aceto lotorum ſingulorum denariũ pondo .xxiiii. gentianæ, dictamni cretenſis, radicũ graminis ac peoniæ, corticis è radice mori delibrati ſingulorũ denarium põdo. lii. croci, calami odorati, caryophillorũ, aloes, chalbanes, colocynthidis, zinziberis, nucis myriſticæ, caſiæ, pipe

ris longi, olibani, carpobalſami, corallii rubri ſingulorum denarium pondo octò: theriaces optimæ denarium pondo duodecim, mentæ, abſynthii, abrotoni, minoris centaurii fo liorum perſicæ mali, porri capitati, pulegii, calaminthæ, plantaginis rutæ, marrubii nigri, foliorum lauri, ſaluiæ, maioranæ, betonicæ, ſcordii, corticum mali medici, & è pu nicæ arboris radice delibratorum ſingulorum denariũ pon do ſexdecim: ſeminum ſylueſtris apii, portulacæ, rhapha ni, braßicæ, ſandonici, plantaginis, porri capitati, muſci marini, apii ſatiui, petroſelinum uocant: ſingulorum dena= rium pondo duodecim: aceti acerrimi, cotoneorum ſucci ſingulorum pondo heminam: olei maſtichini, nardini, bitu minis liquidi, petroleum uocant, olei laurini ſingulorum denarium pondo ſexdecim: olei antiquißimi aut omphaci= ni heminas octo: arida leuigantur, unaq; commiſcentur, atque uitreo in uaſe ſub equino per menſem fimo ſepiun= tur: demum duplici in uaſe feruent ad tertias, refrigera= taq; percolãtur, ualidaq; prius expreßione peracta uitreo in uaſe quod emanat ad uſus adſeruatur. Hoc uerò pacto utitor. tempora primum deinde nares, poſtmodum colli uer tebræ, quarto loco iugulum: poſtea pulſus arteriarum qui in brachiali exiſtunt, ſtomachus deinde peruagatur. Voco autem in præſentia ſtomachum uentriculi oſculum ſumpto impropriè ſtomachi uocabulo: quum proprie gulam ſigni ficet. Quo loco neotericorum medicorum erratum non eſt omittendum: qui in affectibus oris uentriculi dorſo è re gione eius præſidia apponunt. quod quum Galeno tum ra tioni pugnare uidetur tertio ac decimo de morbis curandis

